



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio V. Vtrùm Deus sit in spatiis imaginariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

gimus omnia sibi determinare hunc modum agendi, tanta certe colligendum est illam necessitatem non provenire ex limitatione virtutis, sed ex ipsamet ratione agentis. Nam sicut forma ut forma est, requirit ad suum effectum formalem unionem & indistantiam cum materia, nec posset forma aliqua, quamvis fingeretur infinita, dare suum effectum sine illa propinquitate, vel sicut causa finalis ad suam causalitatem requirit propinquitatem per cognitionem, nec potest aliter illam exercere, etiam si maxime infinita sit, ita agens ut agens requirit ad agendum propinquitatem & immediationem cum passio, vel effectu, sine qua non potest agere etiam si infinitum sit. Adde multo minus id posse convenire agenti infinitæ virtutis, quia agere in distans esto in aliquo agente possit videri perfectio, non tamen potest esse perfectio simpliciter, sed supposita imperfectione: absolute tamen non est perfectio multoque melius est per se ipsum, & per suam essentiam, & præsentiam ad esse omnibus, si id possit sine distractione, aut diminutione suæ virtutis, quia si Deus est in aliquibus, & non est maior ratio de his, quam de aliis in omnibus æque necessario erit.

QVÆSTIO IV.

Utrum Deus sit in spatiis imaginariis.

SECTIO I.

Sententia aduersariorum ponitur.

PRIMA Sententia est Patris Vasquez, asserentis Deum non esse in spatiis imaginariis extra cælum, eam docet 1. part. tomo 1. disp. 29. cap. 2. eandem sequitur Pater Granad. & multi alij, quos ibi citant hi Authores.

Probat Pater Vasquez 1. ex Patribus, inter quos eam docuisse videtur Textal. lib. contra Paxeam cap. 5. his verbis: [Ante omnia Deus erat solus & ipse sibi, & mundus, & locus, & omnia.] Quod si Deus fuisset in illo intervallo imaginario, licet solus fuisset, sibi tamen non fuisset locus; siquidē in alio esset tanquam in loco. Secundo August. lib. de fide contra Manichæos. cap. 37. cum argueret contra Manichæos vetus testamentum impugnantes, quod multa in eo falsa, & inepta continerentur, contra vero Evangelium tanquam diuinam scripturam suspicerent, contendit, eodem modo contra Evangelium, atque contra vetus testamentum argui posse, ac proinde utrumque eodem modo explicandum esse: mox subiungit; [quia si aliquis ita cæcus, ut reprehendere velit illud Domini, quod in Evangelio dictum est, non iurabis per cælum, quoniam sedes Dei est, neque per terram, quoniam scabellum est pedum eius & hoc dicat, quod vos mira dementia dicere soletis, ubi erat Deus, antequam esset cælum, & terra?] &c. Tandem post alia, quæ aliqui contra Evangelium possent obicere, subdit: [nonne ignorant ubi caput habeant, & tamen aliquid sibi videntur dicere;] ubi August. stultam esse dixit Manichæorum interrogationem, ubi esset Deus ante mundi creationem, nulla sane alia de

causa nisi quia alibi quam in se ipso esse non poterat. Idem illa verba Psalm. 122. [Qui habitas in cælis] ut ostendat, cælos spirituales, id est sanctos viros in æternum mansuros, non autem cælos corporeos esse Dei habitaculum sic ait: [Nam si cælum istud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus esse habitationem Dei, transitura est habitatio Dei, quia cælum, & terra transient. Deinde antequam faceret Deus cælum & terram, ubi habitabat? sed dicit aliquis, antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat? in se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.] Ecce nullum alium locum præter seipsum ante mundi creationem Deo concedit August. quo etiam sensu dixerat Tertullianus de deo, [sibi erat locus, & omnia.] Hæc verba August. videtur retulisse Magister in 1. d. 37. ex libro 3. contra Maximinum, cum tamen ibi nihil eorum habeatur. Eidem interrogationi eodem modo responderet Bernardus lib. 5. de consideratione, longe antequam, nam præterquam quod ostendit ipsum esse in omni loco vniuersi, ita inquit; [salus vero ubi erat antequam mundus fieret, ubi est; non est quod quæras ultra ubi erat: præter ipsum nihil erat: ergo in se ipso erat.]

Denique non parum fauet Theodoretus, qui cum sentiat, angelos omni corpore carere, ut referemus infra disp. 178. quest. 3. in Genes. ea ratione probat, ante mundum corporeum non fuisse, quia cum natura sua loco definiantur, & circumferantur, hoc est, ita in vno sint, ut ubique esse non possint, nequeunt nisi in corpore aliquo esse; censet ergo in spatio illo inani, & imaginario illos creari non potuisse: cuius ratio licet non probet id, quod contendit, ut disputatione illa patebit, quod tamen ad nostrum attinet institutum ex eis habemus sententia angelos in spatio imaginario esse non posse: quocirca neque extra cælum: atque eadem ratione Deus, cum sit spiritus in spatio illo imaginario esse non poterit, licet non indigeat aliquo loco corporeo, ut existat, sicut Theodoretus putauit Angelum indigere.

Secundo probatur ratione, Deus non potest esse in spatio imaginario: ergo ante mundi creationem non erat, nec modo est in infinito inani, sed solum in seipso: consequentia est euidens, quia cum ante mundi creationem, & supra cælestia corpora nihil reale sit, si Deus ibi constitueretur, foret collocandus in spatio negativo, seu imaginario; unde si probauerimus in conne fuisse, nec esse posse, solum supererit, Deum in se ipso extitisse ante mundum, & modo non esse supra cælos. Id vero probatur in hunc modum; id quod vere nihil est, non potest esse locus, in quo res realis existat, sed illud spatium imaginarium nihil est: ergo non potest esse locus in quo entitas realis, ac proinde Deus existat. Consequentia est euidens. Minor etiam est certissima, quia nec est ens reale, si enim aliquid reale esset, foret spatium verum, nec est ens rationis, quia secundum aduersarios, nullo intellectu considerante, datur, & alioqui ridiculum esset Deum, vel aliam entitatem realem vere ubicari in ente rationis, seu in spatio quod sola intellectu fictione spatium appellatur. Maiorem ergo probo, quia locus est qui in se recipit, & vere habet rem, quæ dicitur esse in illo. nihil autem non potest habere, aut recipere veram entitatem.

Declaratur amplius efficacia huius rationis, expendendo, quid nomine huius spatij imaginarij significetur, nam vel illud est negatio rei, quæ

Quaest. IV. An Deus sit in spatio imagin. 205

quæ in illo collocatur, & hæc omnino tollitur, cum ponitur res, cuius negatio erat, ac proinde omnino impossibile erit, non esse in illa, cum nemo sit in eo, quod illius positione funditus tollitur, vel est capacitas, seu non repugnantia ad recipiendum intra se aliquod corpus. & hoc modo magis verisimiliter explicatur natura spatij imaginarij, v.g. mundus, quantus quantus est, intelligitur existens in spatio imaginario, id est in capacitate quadam negatiua, quæ erat ad illum recipiendum vbi modo existit; cum enim vere ibi productus sit, & non alibi, vere ibi erat capacitas illum recipiendi, & ea concipitur à nobis tam extensa, quam ipse mundus, vt ita in illa constitutus intelligatur. Simili ergo ratione supra totum mundum est non repugnantia, seu capacitas recipiendi alia corpora magis ac magis extensa in infinitum, cum ibi possit Deus creare maiorem, ac maiorem quantitatem sine termino, & ea capacitas concipitur à nobis infinite extensa, & in illa est Deus, fueratque ex æternitate repleturque proinde id, quod replet corpus magis ac magis extensum, quod Deus ibi condere poterat.

Sed hoc ipsum maximè deseruiet ad confirmationem nostræ affectionis, nam imprimis, hæc non repugnantia nihil aliud est, quam possibilitas rei, quæ dicitur non repugnare, sic enim non repugnare hominem, est possibilem esse hominem, aut certe si negatio sit, omnino oritur ex ipsa possibilitate rei quæ propterea non repugnat, quia prædicata eius possibilia sunt, de quo in Metaphysica: ergo ista capacitas, seu non repugnantia ad recipiendum corpus nihil aliud est, quam possibile esse corpus in tali vel tali spatio constitutum: ergo præter ipsum corpus, quod constituitur, & præter positum vbi, quod habet, nullum aliud spatium imaginarium reperitur in quo tale corpus, vel res alia constituitur: ergo præter Diuinum esse, & vbi illius reale non est aliquod spatium imaginarium in quo existat. Confirmatur primo, quia non repugnantia, quæ dicitur spatium imaginarium, vel est aliquid, quod moueri potest ab vno loco imaginatio ad alium, & id est in intelligibile, nec ab aduersariis asseritur; vel est aliquid immobile, ita vt capacitas illa in qua est modo vltimum cœlum in opinione aduersariorum sit affixa determinato illi loco, & ab illo dimoueri non possit, & id etiam reiecitur, quia inde inferitur aliud esse capacitatem illam negatiuam, aliud vero locum, cui affixa est; petam ergo quisnam sit ille locus, non enim est aliquid reale, cum sermo sit de spatio imaginario; nec aliquid rationis, quia ante omnem considerationem intellectus asseritur eiusmodi spatium, vt realiter, & non fictitè sit res in illo, nec est aliqua negatio, quia hæc secundum aduersarios est ipsa capacitas, seu non repugnantia, & præter illam explicari oportet quid sit illud cui affixa est.

Responderi potest ipsam capacitatem negatiuam, seu non repugnantiam seipsa esse immobilem, & affixam sibi ipsi, nec esse necessarium aliud spatium comparatione, cuius sit immobilis, cum illa sit ratio propter quam corpus, vel res alia ibi constituta immobilis, & fixa permaneat. Sed hanc solutionem refellit secunda confirmatio, quia ista capacitas, seu non repugnantia non est ratio propter quam res immobiliter existit in loco, id enim potius ab vbi positum & reali prouenit: ergo ipsa non est formaliter immobilis per se ipsam: ergo aliquid aliud assignandum est, in quo res dicatur existere, si verum sit illam esse

posse in spatio imaginario; cum autem id non possit assignari, dicendum est rem non esse in spatio imaginario, sed vel in loco reali, quando ille fuerit, vel in se ipsa quando alius locus verus defuerit.

Confirmatur tertio, quia non repugnantia, vt res aliqua sit, non est aliud, quam rem posse esse: ergo non repugnantia immobilis nihil aliud est, quam posse esse rem immobilem: ergo tota immobilitas spatij revocatur ad locum intrinsecum seu ad vbi reale, quod suapte natura est immobile: ergo immobilitas loci imaginarij nihil aliud est, quam possibilitas veri vbi, seu loci realis, ac proinde in isto & non in ipso loco imaginario erit res quando immobiliter dicitur existere.

Confirmatur quarto, quia nulla res quando producit, dicitur vilo modo esse in non repugnantia vt producat: ergo nulla res quando vbicatur, dicitur esse in non repugnantia, vt vbicetur, ac proinde nulla res est in spatio imaginario. Antecedens declaratur, quia vere possibilis est homo, ac proinde non repugnat illum produci, nemo autem dicit, quando producit, quasi recipi, vel constitui in sua non repugnantia: similiter non repugnat effici albedinem in pariete, & tamen quando efficitur, non dicitur poni in non repugnantia, sed in subiecto, si illud habeat, vel si res sit expers subiecti, dicitur existere in se ipsa. Consequentia vero probatur, quia ita se habet non repugnantia rei ad sui existentiam, sicut non repugnantia vbicationis ad existentiam ipsius vbicationis: ergo sicut res, cum accipit esse, non accipit illud in sua non repugnantia, nec fingitur vlla capacitas in qua illud recipiatur, ita, cum res vbicatur, non ponitur in sua non repugnantia, nec fingi oportebit vllam capacitatem negatiuam, à qua recipiatur.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur.

Deus actu præsens est extra mundum in infinitis spatiis imaginariis, seu in capacitate illa infinita extra mundum existente, apta repleti corpore, & in qua potest Deus producere. Hæc est plausibilior sententia inter probatores Theologos.

Probatum primo autoritate Sacre Scripturæ, 3. enim Regum 8. dicitur cœli cœlorum te capere non possunt, supra quæ ait Athanasius oratione contra Gregales Sabellij in medio: atqui inquit si genitus est extra genitorem existit, & ab eo diremptus est. Minime genitum; quinimo indiremptum oportet esse Verbum quod existit in Deo & extra Deum non apparet; quo enim in loco foris apparuerit quum omnia Deus, vt in scripturis est, adimpleat: cœlum, & terram ego repleo, dicit Dominus. Istius modi præstigijs Filij generationem eiusque à Patre æternum progressum: & cum parte coexistentiam subuertere conantur, quum integer per se, & solidus sit Pater, integer quoque, & solidus sit Filius. Disceant igitur se non intelligere, neque quæ dicunt, neque quæ asserunt, quum Deum in loco circumscribunt, Filiumque denno alio in loco consistere imaginantur, eosque sedibus distinctos esse: illum quidem hic, alterum vero alibi; siquidem genitus sit, & seorsum à Patre alitersus apparuerit. Quis locus quietis meæ dicit Dominus? cœlumne? Cc 3 atqui

atque cœli cœlorum non sufficient tibi, inquit Salomon, ad Deum verba faciens, magno argumento mortales docens, nihil locorum Deitatis esse capax, Manus, inquit, mea fecit hæc omnia, non igitur opera intra se continent opificem suum qui & ante opera existeret, illisque, ut existerent, causam præbuit utriusque suis stabilivit. Atque ideo ait Paulus, ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia. Ac rursus idem, in eo enim viuimus mouemur & existimus, Aufer iam mihi illud, loco subnixum esse, cum de Deo, & Verbo, & Spiritu Sancto cogitandum putes, aufer mihi locales capacitates, neque alibi existere Patrem, alio vero emitti filium, ex ratione gignendi suspiceris, istiusmodi falsæ vel potius impiæ ratiocinationes te in substantia Filij scandalizant, atque ideo, vna cum Filio Spiritus quoque Sancti tibi abnegationem inducunt, quum omnia à Patre præoccupata existimas. Ne requiras magnitudinem loci spaciosam, quæ capere possit Dei magnitudinem: non enim id, quod immensurabile est, in mensurato contineri poterit. Quoniam palmo suo metitur cœlum, ut Propheta per comparisonem insinuat: Mensus est quoque aquam manu, & vniuersam terram pugillo. Si igitur minimum quiddam est hæc vniuersitas rerum ut prophetica parabola utunque subindicat, quo modo igitur pro spatio minimæ rei, Deum sese porrigere & circumscribere, suspicari poteris? qui non eodem modulo cum vniuersitate rerum decurrens adimplet vniuersa: corporale enim id est, ut si exempli causa dicas aërem impleuisse quicquid inter cœlum, & terram est. Cæterum, hic non ita agitur: Deus enim, ut vis, ac potentia continet omnia, eo quod potentia incorporalis, & inuisibilis sit non ambiens, nec ambita: idem de filio, ac Spiritu Sancto existimandum.

¹² Quibus verbis hæreticos Sabellianos conuincit, ipsi enim dicebant Deum circumscribi loco determinato, & contineri ab illo, ita ut extra illum non sit Deus; vnde amplius chimerisantes asseriebant Patrem æternum esse in vno loco circumscriptiue ubi non erat filius, vnde filium determinabant ad vnum locum, & Patrem ad alium, ita ut vnaqueque persona ita circumscriberetur ad vnum locum, ut non possit esse extra illum locum; quod patet ex illis verbis d. Athanasij: [discant igitur se non intelligere, neque quæ dicunt, neque quæ affirmant cum Deum in loco circumscribant filiumque de nouo alio in loco consistere imaginantur, eosque sedibus distinctos esse illum quidem hic, alterum vero alibi, si quidem genitus sit, & seorsum à Patre alitersecus apparuerit.]

¹³ Deinde asseriebant isti deum petere locum, cui subniteretur ipse deus, & à quo contineretur deus, & quasi sustentaretur, & ideo necessario petebant locum positium, quia à negatione non potest aliquid positium contineri, neque ipsi inniti. Diuus autem Athanasius primâ falsitatem, qua asseriebatur deum determinato loco circumscribi, & definiri his verbis conuincit, ac refellit: [quis locus quietis meæ dicit dominus: cœlumne? atque cœli cœlorum non sufficient tibi inquit Salomon, ad Deum verba faciens, magno argumento mortales docens nihil locorum Deitatis esse capax;] ac si dicat Sanctus Athanasius, cœlum, & terra non possunt sufficere præsentia dei, quia omnia creata superat: ergo deus non est in aliquo loco determinato neque potest comprehendi ab aliquo loco, quia si comprehenderetur ab aliquo non superaret omnia loca.

¹⁴ Secundum placitum aduersariorum, quo asseriebant locum dei necessario esse positium aliquod

ut contineret deum, & ut ipsi deus inniteretur his verbis reputat: [Manus mea fecit hæc omnia, non igitur opera intra se continent opificem suum, qui, & ante opera existeret illis; ut existeret causam præbuit utriusque suis stabilivit. Atque ideo ait Paulus ex quo omnia & per quem omnia, & in quo omnia. Ac rursus idem, in eo enim viuimus, mouemur, & existimus. Aufer iam mihi illud loco subnixum esse, dum de deo, & Verbo, & Spiritu Sancto cogitandum putes, aufer mihi locales capacitates, neque alibi existere patrem, alio vero emitti filium, ex ratione gignendi suspiceris;] ac si diceret deum non contineri à loco cui præsens est, neque inniti illi probat his duabus rationibus, quia omnia loca positiua sunt facta à deo, tanquam à causa infinita: ergo non possunt continere ipsum, ita ut circumscribant & concludant, aut definiant & comprehendant ipsum, quia effectus limitatus non potest ita continere suam causam infinitam.

Secunda ratio qua hoc probat, est, quia deus non innititur loco, quia non est corpus neque ambitus ab illoneque ita de nouo est in aliquo spatio, ut ante quam produceret deus tale locum positium, non fuerit in spatio, in quo produceretur præsens locus, sed potius antequam produceret omnem entitatem positium fuit præsens deus spatio, in quo illam producit, quia præsentia causa in aliquo spatio prærequiritur in tali spatio ad productionem effectus; nam si causa non est præsens in aliquo spatio non potest producere aliquid in illo: ergo si deus produxit in toto hoc spatio totum mundum, cœlos, & terram antequam produceret hæc omnia deus existeret, ibi, & ideo ait Sanctus: [non igitur opera intra se continent opificem suum, qui & ante opera existeret, illique ut existerent causam præbuit utriusque suis stabilivit;] ac si dicat, non ideo deum esse præsentem, quia sunt entia positiua creata ab ipso, sed potius antequam positiua essent existeret deus præsens, quia talis præsentia erat necessaria ut deus posset facere, ut illa omnia existerent præsentia.

¹⁶ Ex quibus omnibus sic arguuntur ex verbis Diui Athanasij, quia ex eo quod deus sit immensus non potest circumscribi aliquo finito loco: sed omnia loca positiua sunt finita: ergo deus in nullo loco positio ita existit, ut intra illum solum sit, sed potius in illo, & extra illum, quia ille non sufficit eo, ac proinde non potest coæquare cum illo ut patet ex illis verbis: [nihil locorum Deitatis esse capax;] scilicet ut illi commensuraretur deus, aut in illo solo existeret deus præsens: ergo sua præsentia superat omnia loca positiua, quia si non superaret illa, & ex alio capite ita esset in illis ut in aliis extra illa non existeret, sine dubio locus positius limiteret præsentiam illius, & continerent ipsum, verbi gratia, ideo vnus Angelus ambitur à loco, & continetur ab ipso, seu in ipso definite est, quia ita est intra illum locum, ut extra illum non sit: ergo si deus est ita intra omnia loca positiua, ut extra illa non sit, necessario sequetur ut contineatur à loco, & quasi comprehendatur ab ipso, & coæquetur locus cum deo, & minimum deus, non superet omnia loca; sed ex Diuo Athanasio deus ita est in loco positio, ut superet omnem illum: ergo non est ita in illo ut non sit extra illum, sed extra locum positium est spatium: ergo deus est in spatio extra totum mundum præsens illi.

¹⁷ Secundo quia antequam essent (ex Diuo Athanasio) omnia entia creata positiua deus eo modo existeret præsens absolute, ac nunc, quia à rebus, quas

Quaest. IV. An Deus sit in spat. imagin. 207

quas Deus produxit non accepit Deus absolute esse praesens; imo Deus illis dedit existentiam quae possent esse praesentia omnia creata, ut patet ex illis verbis: [Qui & ante opera existerat illis: quae ut existerent causam praebuit:] sed ante quam essent omnia entia posita creata, non erat nisi spatium illud in quo creauit omnia posita: ergo Deus antequam crearet illa, ut posset producere ipsa, erat praesens in spatio illo, seu vacuo, quo eadem produxit. Sed etiam Deus extra totum mundum in toto illo vacuo infinito potest infinitos mundos producere: ergo in toto illo vacuo, seu spatio imaginario ex Diuo Athanasio existit Deus praesens.

18 Tandem, quia ut vidimus in verbis huius Doctoris, ut Deus sit praesens alicui non est necesse quod sit positum, quia nec continetur a loco, in quo est praesens, neque ipsi submittitur, ut patet ex illis verbis: [non igitur opera intra se continent opificem suum:] & ex illis: auferam mihi illud loco subnixum esse cum de Deo, & Verbo, & Spiritu sancto cogitandum putes:] propter quam causam solum videbatur requiri locus positus: ergo bene potest esse praesens Deus extra locum positum, & extra entitatem creatam, & sic potest esse praesens secundum mentem Diui Athanasij in spatio imaginario, seu vacuo.

19 In ultimis verbis quae incipiunt, si igitur minimum, usque ad illa existimandum, aperte docet Diuus Athanasius, & probat Deum non solum esse praesentem in hoc mundo positum, sed etiam extra illum, quia hic mundus comparatus cum praesentia, & immensitate Dei, per quam est praesens minimum quiddam est, ac proinde Deus ita est in illis rebus, ut extra illas in infinitum sit praesens superando omnia, & ideo ait [ne requiras magnitudinem loci tam spatiosam, quae capere posset Dei magnitudinem; non enim id, quod immensurabile est in mensurato contineri poterit:] quod probat duobus locis sacrae scripturae, primus est caeli caelorum non sufficiens &c. Secundus est *Isaia* 40. ibi: [mensuratus est quoque aquam manu, & vniuersam terram pugillo:] unde concludit nostram veritatem, his verbis: [si igitur minimum quoddam est haec vniuersitas rerum, ut prophetica parabola vtuncque subindicat, quomodo igitur pro spatioso minima rei, Deum se se potrigere, & circumscribere suspicari poteris? qui non eodem modulo cum vniuersitate rerum decurrens, adimplet vniuersa: corporale enim id est ut si exempli causa dicas aërem impleuisse quicquid inter caelum & terram est. Ceterum hic non ita agit: Deus enim ut vis, ac potentia continet omnia, eo quod potentia incorporealis & inuisibilis sit, non ambiens nec ambita. Idem de filio ac Spiritu sancto existimandum.]

20 Ex quibus euidenter patet nostram veritatem tum a sacra scriptura, tum ab Athanasio expresse doceri responderi Pater Granado 1. *part. tract. 3. disp. 3. sect. 3. n. 18.* his verbis: [Manifeste patet verba Salomonis non intelligi a S. Athanasio de existentia in aliquo inani supra caelos, sed de independentia diuinae naturae quae in nulla creatura ita est, ut ab illa quasi dependeat, aut illi adaequetur, nec in maiori loco possit connaturaliter existere.] & S. August. *lib. 1. confessionum, cap. 3.* ita Deum alloquitur: capimurne: ergo te caelum, & terra quoniam tu impleas ea? an impleas, & restat, quoniam te non capiunt? & quo refundis quidquid impleto caelo, & terra, restat ex te?]

Sed contra, quia Diuus Athanasius non probat Deum non dependere a creaturis, quia nec Gregales Sabellij hoc affirmabant, sed solum in prima parte vult probare Deum non limitari ab vno loco, neque circumscripti ab ipso, aut contineri ab eodem, & hoc probat loco *Regum* 8; [caeli caelorum non sufficiens tibi:] & loco *Isaia* 40. [Mensuratus est quoque aquam manu & vniuersam terram pugillo.] Quibus locis videtur ut acute conuincat non solum Sabellianos: sed omnes eos qui asserunt Deum ita esse in locis limitatis, & finitis ut extra illos non sit; unde comparatione videtur mirabili sumpta ex Propheta *Isaia*, qui Deum pingit ad modum hominis infinitae magnitudinis concludentis & comprehendens vna manu caelum; & altera haec omnia inferiora, terram, aquam, aërem &c. de quo homine si aliquis diceret ita esse praesentem his rebus, quas solis manibus continet ut ita sit in illis, ut extra illas non sit alibi praesens certe irrideret a sapientibus, quia totus homo, eo quod magnitudine excedat capacitatem propriarum manuum necessario extenditur sua praesentia ultra manus; unde extra praesentiam manus praesens est loco per id, quod excedit magnitudinem manuum, imo impossibile est, ut talis homo solum sit praesens spatio manuum, sed necesse est, ut ita amplius protendatur, ut sit praesens ampliori spatio, quam est spatium manus, haec igitur comparatione conuincit Athanasius, & Propheta ad asserendum impossibile esse Deum soli mundo esse praesentem, quia totus mundus infinite excedit a praesentia infinita, & immensitate Dei, ac proinde ita debet esse praesens illi, ut ultra illum Deus per suam praesentiam repleat infinita spatia ultra mundum, in quibus alios infinitos mundos potest producere, quod euidenter docet Augustinus eisdem verbis, quibus videtur Granado, dum explicat Diuum Athanasium pro se, verba enim haec sunt: [capiuntne ergo te caelum & terra, quoniam tu impleas ea? impleas, & restat quoniam te non capiunt? & quo refundis quicquid impleto caelo, & terra restat ex te?] id est ita impleas caelum terram & vniuersum mundum tua praesentia, & immensitate, ut adhuc repleto mundo restet in infinitum tua praesentia, & immensitatis per quam ita superas mundum, ut extra illum infinitis spatijs sis praesens? ergo male explicat Granado Diuum Athanasium in sua prima parte, quia ibi non agit de dependentia, sed potius de infinita immensitate, & praesentia dei per quam non est solum praesens mundo, sed infinito spatio.

Sed demus in prima parte Athanasium non aduersari opinioni Granados certe in secunda parte, ut patet ex supradicto absolute conuincit Deum, ut sit praesens non indigere loco positum eo quod, ut inquit Athanasius antequam res creatae existerent tam infinite existeret praesens Deus, ac nunc neque nunc magis praesens est, quam antea.

Secundo probatur ex verbis *Iob. 11. ibi*: [excelsior caelo est:] & 22. nonne cogitas quod Deus excelsior caelo sit, & super stellarum verticem sublimetur? supra quae ait Dionysius *cap. 9. de diuinis nominibus*: Deus extrinsecus super omnem magnitudinem funditur, & expanditur; quibus consonat Greg. Magnus *homilia 8. in Ezechielem*, ubi ait, [Deum implere, & super excedere omnia:] unde explicans verba illa *Iob. 11. excelsior caelo est*, postquam docuit sententiam *Iob.* non esse accipiendam de excessu quantitativo ita subiungit: [Dominus excelsior est, quia in circuitu]

Quaest. IV. Vtrum Deus sit in spatio imag. 209

operetur ad extra, per totam aeternitatem, quia productiones respectu creaturarum, & creaturae ipsae productae, cum nihil discant perfectionis in Deo, neque addant aliquid perfectionis ipsi, quia sunt tanquam nihil ante ipsum, ideo neque faciunt, neque non faciunt otiosum Deum.

24 Subiicit diuus Augustinus. Si aduersarij asserant ut vim huius argumenti eludant non dari spatia extra mundum, etiam debent dicere ante tempus, in quo productus est mundus non dari durationem infinitam, quia non est maior ratio cur concedatur infinita duratio extra tempus antecedens ipsum, & non concedatur infinitum spatium extra mundum cui sit vere praesens deus, sed est maximum absurdum inquit Augustinus negare infinitam & aeternam durationem ante tempus, cui fuerit praesens deus ante illud ergo maximum absurdum est negare infinita spatia extra mundum, cui sit praesens deus vere, & realiter.

25 Ecce Augustinus ex principio certis, quod in re est, & conceditur ab aduersariis, videlicet dari infinita spatia extra mundum, cui vere, & realiter est praesens deus dissoluit argumentationem sophisticam aduersariorum: ergo euidenter sequitur diuum Augustinum concedere manifeste deum, vere, proprie, & rigore esse praesentem infinitis spatiis imaginariis.

Declaratur amplius discursus diui Augustini, probando omnes propositiones huius nostri discursus verbis ipsius doctoris in capite citato: Maior syllogismi continetur ab illis verbis. Deinde videndum est istis vsque ad illa factus est. Minor autem continetur in illis verbis: quemadmodum quater potest cur hic potius ubi est, & non alibi vsque ad illa deus cessauerit; reliqua autem propositiones continentur ab illis verbis: cum igitur vnum modum ingenti quidem mole corporea, vsque ad illa cogitare praeterita tempora vacationis dei cum nullo tempore sit ante mundum.]

26 Respondet Pater Granado ubi supra *sectione 3. num. 21. §. legi ima*, diuum Augustinum licet argueretur ex suppositione spatij imaginarij, interuallo, quibus deus est praesens non admittere in propria sententia talem suppositionem, sed solum ex eo quod eam admisit aduersarij ex illa ab ipsis admissa argumentum fuisse, unde colligit diuum Augustinum sicut non admittit durationem ante tempus, ita non admittere spatia imaginaria extra mundum, quibus sit praesens deus, ac proinde talem locum diui Augustini non esse contra ipsum: sed pro ipso, fore autem contra ipsum si talis suppositio durationis, & loci seu spatij imaginarij extra mundum iudicaretur a diuo Augustino, vere & realiter dari.

27 Sed contra hanc solutionem manifeste insurgo, nam licet verum sit diuum Augustinum ex suppositione illa temporis ante mundum admissa ab aduersariis argumentum fuisse, ex illa tamen proficiscitur ad concludendum contra ipsos, quod ut faciat supponit aliud, videlicet dari spatia imaginaria extra mundum, quae suppositio, & conceditur ab aduersariis, & in re est vera inquit Augustinus, cui sit praesens deus; unde licet prima suppositio, quae ad nos non pertinet, videatur solum admissa ab aduersariis, videlicet temporis imaginarij, nihilominus tamen suppositio de spatio infinito, seu vacuo extra mundum, quae ad propositum huius quaestionis pertinet, non solum assumitur a diuo Augustino, ut admissa duntaxat ab aduersariis, sed etiam ut certa: ergo ex diuo Augustino manifeste sequitur praesentiam dei in tali

I. P. Tom. II.

spatio extra mundum esse veram, propriam & rigorosam.

28 Quod autem praesentiam dei in spatiis infinitis extra mundum, quae in suppositione illa includitur assermet diuus Augustinus, ut certam, patet ex illis verbis: [an forte substantiam dei quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed de ea sicut de deo sentire dignum est fatentur, incorporea praesentia vbique totam a tantis locorum extra mundum spatia absentem esse dicturi sunt, & vno tantum atque incomparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est occupatus: non opinor eos in hac vaniloquia progressuros. Cum igitur vnum mundum ingenti quidem mole corporea finitum tamen, & loco suo determinatum, & operante deo factum esse dicant, &c.] ubi ait diuus Augustinus substantiam dei, eo quod neque includitur, nec determinatur, nec distenditur loco, sed incorporea praesentia vbique sit, si de deo, ut oportet, dignum sentiendum sit, non posse affirmari esse absentem ab infinitis spatiis imaginariis, sed potius affirmandum esse praesentem illis, tribuit rationem, quia infinita praesentia dei tam exiguus locus in quo mundus est non sufficit, & concludit absurda loqui, qui oppositum docuerit: ergo si diuus Augustinus ex immensitate dei, ex dignitate infinitatis diuinae praesentiae probat, & concludit deum debere esse praesentem non solum huic mundo, quia maxime exiguus est sed etiam infinitis spatiis extra mundum, ita ut, qui oppositum docuerit sit mentis inops; sine dubio asserendum est suppositionem de praesentia dei in spatiis imaginariis non solum adduci a diuo Augustino ut admissa ab aduersariis, sed etiam ut certam ab ipso affirmari, alias non probaret talem suppositionem tam euidentibus principiis qualia sunt infinita praesentia dei, immensitas illius, & exiguitas vniuersi; nam quod ab aliis solum assumimus si non iudicamus esse certum, non probamus efficaciter, & multo minus dicentes oppositum non vocamus vaniloquentes: ergo si diuus Augustinus probat talem praesentiam dei in spatiis imaginariis, & oppositum dicentes vocat stultos, & vaniloquentes, sine dubio non solum assumit illam ut concessam ab aduersariis, sed etiam ut certam stabilit & affirmat.

29 Alias faceret in hac suppositione de praesentia dei in spatio, quod fecit in alia de tempore imaginario ante mundum quam assumpsit, ut admissa ab aduersariis, & non probauit.

30 Respondet Pater Vasquez in eo capite non asseri a diuo Augustino deum non esse in infinito spatio extra caelum, sed solum posse infinitos mundos extra caelum producere. Contrarium tamen constat ex verbis, quae retulimus, agit enim expressis de existentia in spatio, licet quia Vasquez illa non sibi obiecit, sed alia eiusdem capituli, mirum non sit explicationem eius non quadrare.

31 Confirmatur amplius ex elegantibus verbis eiusdem diui Augustini *lib. 7. confes. cap. 3. ibi*: [constituebam in conspectu spiritus mei vniuersam creaturam, & feci vnam massam grandem distinctam generibus, sane finitam: te autem domine ex omni parte ambientem eam, & penetrantem, sed vsquequaque infinitum; tanquam si mare esset vbique & vndique per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen: plena esset spongia illa ex omni parte sua, immenso mari. Sic creaturam tuam finitam, te infinito plenam pu-

D d

tabaru

tabam & dicebam, ecce Deus, & ecce quæ creauit Deus, & ecce quomodo ambit, & implet ea. Quia similitudine, & exemplo aptissimo, seu appositissimo explicat Deum non solum esse præsentem in tota rerum vniuersitate, sed etiam extra vniuersitatem & extra mundum per infinita spatia, ut patet ex illis verbis tanquam si mare esset vbiq; usque ad illa, ecce quomodo ambit & implet ea; nam sicut parua spongia, ita est intra mare ut mare ipsum non solum sit illi præsens, sed etiam extra spongiæ ingenti spatio, ita similiter Deus, qui infinite sua præsentia, & immensitate superat præsentiam, & magnitudinem orbis, non solum est præsens illi, sed etiam vere, & proprie infinitis spatiis extra illum. Clarius id explicat Dionysius *cap. 9. de diuinis nominibus*, ubi sic ait: [Magnus appellatur Deus iuxta propriam ipsius magnitudinem, quæ magnis omnibus suum consortium tradit, & extrinsecus super omnem magnitudinem funditur, & supra expanditur omnem continens locum, omnem transcendens numerum, omnem transiens infinitatem.] Loqui Dionysium de magnitudine virtuali Dei, quæ recurrit cum immensitate, vel saltem illam includit, patet ex verbis ipsis: ait vero eam extrinsecus super omnem magnitudinem fundi & supra expandi: ergo censet à parte superiori supereminere atque adesse connexæ superficiæ cæli empirei: quid enim aliud significant verba illa fundi, atque expandi? nisi substantia diuina adsit vndequeque præsens ex superiore, atque extrema parte mundi non vere dicitur fundi, & expandi, quantumlibet in se sit infinita: verba enim illa proprie accommodantur rebus corporeis, quæ protensione magnitudinis suæ circum aliud corpus diffunduntur: in Deo autem deest quidem dilatio, ac protensio, cum sit incorporeus, ac summe simplex, dari tamen debet aliquid ratione cuius dicatur superfundi, & expandi: nec sat est purus modus existendi absque illa habitudine præsentia extrinsecæ ad connexionem mundi partem vel existentia extra terminos illius.

32 Audiamus etiam Diuum Gregor, hoc ipsum fusè, ac dilucido declarantem *lib. 2. Moral. cap. 8. in id Job. 1.* [Egressusque est Satan à facie Domini. Quod exitur (inquit) ab eo, qui vbiq; est: hinc namque est, quod Dominus dicit, cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: hinc rursum de eo scriptum est, cælum meretur palmo, & omnem terram pugillo concludit: sedi quippe cui præsidet, interior, & exterior manet: cælum palmo metiens, & terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creauit exterior, id enim, quod interior concluditur, à concludente exterior continetur: per sedem ergo, cui præsidet, intelligitur esse interior, supraque; per pugillum, quo continetur, exterior, subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem interior per subtilitatem; inter sum regens, deorsum continens, extra circumdans, interior regens, nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior atque alia manet interior, sed vnus idemque totus vbiq; præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Vnde superius præsidens, inde inferius sustinens, & vnde exterior ambiens, inde interior replens, sine iniquitudine superius regens, sine labore inferius

sustinens, interior sine extenuatione penetrans, exterior sine extensione circumdans, est itaque inferior, & superior sine loco: est amplior sine latitudine, est subtilior sine extenuatione. Sane illa verba, [ipse sit circumquaque rebus, quas creauit exterior,] non solum significant Deum ratione suæ immensitatis manere extra res, sed ex omni exteriori mundi parte esse circumcirca præsentem, alias dici nequit circumcirca exterior. Iam vero illa alia verba, [exterior per magnitudinem;] item illa, [extra circumdans;] & illa, [exterior ambiens,] idem prorsus declarant, cætera addita sunt ad ostendendum modum, quo Deus est interior & exterior præsens, non per diuersas partes magnitudinis, sed vna simplici ratione immensitatis: hoc enim significat cum ait: [exterior sine extensione circumdans;] circumdare non negat, sed non eodem modo quo res quantæ: circumdat itaque exterior non propria extensione quantitatis sed virtuali immensitatis: similia fere habet homilia 17. in Ezechielem, à medio.

Nec minus clarum est testimonium Diui Hilarij *lib. 1. de Trinitate, non longe à principio*: Postquam enim retulit illud *Isai. quadragésimo*, [Qui tenet cælum palmo, & terram pugillo:] & rursum *cap. sexagesimo sexto*: cælum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum, conclusum (inquit) palmo cælum rursum Deo Thronus est, & terra, quæ pugillo continetur, eadem, & scabellum pedum eius est, ne in Throno, & scabello secundum habitum confidentis protensio speciei corporeæ posset intelligi, cum id, quod sibi Thronus, & scabellum est, rursum illa ipsa infinitas potens palmo, ac pugillo apprehendente concluderet, sed ut in his cunctis originibus creaturarum Deus intra, & extra, & super eminens, & internus id est circumfusus, & infusus in omnia nosceretur: cum, & palmo pugilloque continens potestatem naturæ exterioris ostenderet, ac Thronus, ac scabellum substrata esse, ut interno exteriora monstraret, cum exteriora sua interior insidens, ipse rursum exterior interiora concluderet. Atque ita totus ipse intra, extraque se continens, neque infinitus abesset à cunctis, neque cuncta ei, qui infinitus est, non inesset;] & paulo post, [nullus sine Deo, neque vllus, non in Deo locus est, in cælis est, in inferno est, itaque cum habet, atque habetur, neque in aliquo ipse neque in omnibus est.] Sane verba illa, Deus intra, & extra, & supereminens, aliquam habitudinem dei ad mundum significant non nisi secundum modum præsentia: ea vero talis est, ut vere sit illi præsens ex parte intima & extrema: hoc autem intelligi nequit, nisi Deus vere existat supra, & extra mundum, & quoad hoc habeat similem habitudinem ei, quam haberet corpus de nouo conditum extra vniuersum: quod aperte sonant illa verba: [ipse rursum exterior interiora concluderet;] indicant enim Deum nostro intelligendi modo esse arcum purum cælis, totumque orbem vniuersum claudere; non quidem mole corporis, sed propriæ substantiæ immensitate, ratione cuius circumfunditur cælo. Idque aperte sumitur ex illis verbis: [ineff interior, excedit exterior;] quomodo enim excedit exterior, si extra cælum, & mundum non est? quantumlibet enim res secundum se sit perfectior, ac maior alia, & ratione suæ magnitudinis possit esse in aliis locis extra illam, nequaquam dicitur esse actu extra illam, nisi de facto vere extra illam existat: vt

Quaest. IV. An. imag. Deus sit in spat. &c. 211

ut patet in corpore Christi existente Sacramentaliter in speciebus consecratis, quibus est multo maior secundum naturalem magnitudinem, & tamen nisi sit extra illas secundum existentiam naturalem, non vere dicitur existere extra species: similiter, quantumvis Deus sit immensus, & maior mundo, nisi tamen actu existat, supra, & extra mundum, non dicitur vere esse extra illum.

34 Confirmatur autoritate illorum Patrum qui aiunt Deum circumcontinere, complecti, concludere, ambire, circumdare omnem rem, vel locum: sane verba illa circumcontinere, complecti, circumdare excessum significant magnitudinis virtualis Dei, quae ita est praesens rebus omnibus, ac locis, ut tamen illa vasto sinu suae immensitatis ambiat, ac circumdet. Quamvis autem Deus continere dicatur res actus per potentiam, Partes tamen praedictis verbis videntes non potentiam respiciunt, sed immensitatem, quia omnia circumplectitur ipse exterius assistens, ut patet ex tenore libro secundo adversus haereses cap. 2. ubi: [cum oporteat (inquit) Deum omnia circumcontinere, ipsum autem contineri a nemine.] Quemadmodum negat Deum contineri ab aliquo continentia locali, similiter affirmat ipsum circumcontinere omnia virtuali magnitudine. Origen. lib. 7. contra Celsum, paulo ante medium: [complectens (inquit) omnia, cum ipsum nihil possit capere.] Sane cum ait: cum non capi à creaturis, de inclusione loquitur magnitudinis: atque adeo, cum ait ipsum complecti omnia, ratione eiusdem magnitudinis intelligit, & in id Job cap. 1. [venerunt Angeli dei ut starent ante eum;] haec duo coniungit, [universa eius circumdat virtus, cuncta eius continet magnitudo:] & ideo non est idem apud ipsum continere magnitudine, ac vi, potentiaque activa. Gregor. homil. 8. in Ezechiel. cir. postquam dixerat Deum omnia implere, addit etiam circumplecti, ut significaret divinae magnitudinis immensitatem; similiter loquitur Autor lib. de speculo, cap. 6. ratione etiam magnitudinis, & immensitatis Deum omnia circumdare docet Gregor. libro secundo Moral. cir. & lib. decimo sexto, cap. decimo quinto, in id Job. 24. [Si ad orientem venero non apparet] & homil. 17. in Ezechiel. à medio. Autor lib. de speculo cap. trigésimo secundo. August. lib. 7. confess. capite 5. Deum ait ambire totam massam creaturarum, ut immensum mare spongiam inse immersam. Gregor. lib. 2. Moral. cir. ait Deum exterius omnia ambire, quod ratione magnitudinis intelligit, ibidem enim dixerat Deum esse exteriorem per magnitudinem. Isidor. ubi supra: ideo exterior est, ut magnitudinis suae immensitate omnia concludat.]

Quae verba etiam usurpant Aleuin. cir. & Autor lib. de speculo, cap. 22. denique Petrus Damianus epist. citata: [Dominus (inquit) per Prophetam dicit caelum in hi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, rursusque de eo scriptum est, caelum metitur palmo, & omnem terram pugillo concludit, sed quippe cui praesidet, interior & superior manet. Nam per id caelum palmo metiens, & terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creavit exterior; id namque, quod interius concluditur, à concludente exterius continetur. Per selem ergo cui praesidet, esse interius & supra perpenditur, per pugillum vero, quo continet esse exterius, subter.]

I. P. Tom. II.

que significatur, quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia & superior est per potentiam, & inferior est per sustentationem, & exterior est per magnitudinem, & interior est per subtilitatem si Deus est cunctis rebus quas creavit, circumquaque exterior, profecto concipi debet undique circumfusus mundo: hoc autem fieri nequit, nisi designata quavis parte superficiei convexae caeli empyrei, verum sit dicere Deus est supra, vel extra hanc partem: quod si verum est, utique Deus non dissimiliter est supra illam, ac esset quavis alia rex ab ea indistans. Argumentatur autem ab analogia rei corporalis qua alia concluduntur, est enim illi exterior: & ideo sicut corpus gremio suo aliud concludens est illi ratione magnitudinis suae exterius praesens, ita Deus creaturas omnes circumdans, & continens debet omnibus esse praesens exterius vera & reali praesentia suae immensitatis. Non perpendo singillatim cetera verba quae satis declarant nostram sententiam, quia ipsa per se clara sunt, & longum esset singula considerare.

Denique idem colligitur ex eo, quod Patres aiunt creaturas esse intra Deum, nihil extra illum esse, & similia. Ita Origen. in illa verba Job. c. 1. [venerunt Angeli Dei ut starent ante Deum.] Ambros. ubi supra, [Nec enim Deus clauditur, sed omnia in se habet, ut solus ineffabilis, & infinitus habeatur:] similia dicit Hilarius, lib. 1. de Trinitate. non longe à principio, [atque ita] inquitens [totus ipse intra extraque continens neque infinitus abesse à cunctis, neque cuncta ei, qui infinitus est, non essent. Hieronym. in verba illa Job. 11. [excelsior caelo est, credimus; quod ubique est Deus; & intra eum omnia quae ab eo creata sunt, continentur.] Gregor. lib. 16. Moral. cap. 15. in illa verba Job. vigesimo quarto, [si ad orientem venero (ubi sic ait) incircumscriptus Spiritus omnia intra se ipsum habet, quae tamen & implendo circumdat, & circumdando implet, &c.] Isidor. ubi supra, [Verum ne quae creata sunt extra Deum essent Deus exterior est, ut omnia concludantur ab eo.] Similia dicit Alcuinus ubi supra, & Autor libro primo de speculo, cap. vigesimo secundo. Cum verò haec locutiones propriae non sint, habeant tamen aliquid proportionale in Deo respondens, ratione cuius omnia intra ipsum dicantur esse, non aliter intelligi potest, quam ratione magnitudinis virtualis ipsius, qua ita existit in se omnia circumplectens & ambiens praesentia substantia suae, ut aer ambit aures in ipso volantes, mare pisces, & omne corpus ingens, ac fluidum minuta corpora intra ipsum comprehendit. Quam rem egregia similitudine explicavit August. lib. 7. confess. cap. quinto, constituta ante oculos mentis massa omnium creaturarum cum Deo loquens, [concepibam (inquit) te Domine ex omni parte ambientem eam, & penetrantem, sed usquequaque infinitum, tanquam si mare esset ubique, & undique per immensa spatia infinitum solum mare, & habere intra se spongiam quamlibet magnam, sed infinitam tamen plena esset spongia ex omni sua parte ex immenso mari, sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, & dicebam;] si comparatio Augustini vilo modo quadrat in rem, de qua agit: ita se habet divina substantia vastitate suae immensitatis ad universam creaturam, ut vastissimum mare ad spongiam ipsi immerfam: est vero mare spongiae illi extrinsecus undequaque

D d 2 praesens

præsens: similiter ergo Deus est extra creaturam, illi tamen immediate præsens.

SUBSECTIO I.

Amplius hæc confirmantur.

36 **D**einde quam plurima testimonia reperiuntur, quibus Patres videntur, quæ iuncta illorum interpretatione magnam vim habent ad hoc institutum. Primum habetur *Iob. capite 11* [Excellior cælo est;] nam quod excellior est altero substantiæ suæ magnitudine, illud & æquat, & superat ita ut respondeat toti spatio, in quo illud est, & adhuc supra illud extet, ac emineat: si ergo Deus excellior cælo est supra summum eius verticem esse debet. Quo testimonio ad hoc institutum videtur Gregor. *eodem loco, lib. 10. Moral. c. 7.* & Diuus Hieronymus ibidem, ex eo colligit omnia esse intra Deum quemadmodum locata intra locum, qui est ipsis superior, & exterior: secundum habetur 3. *Reg. 8. & 2. Paralip. cap. 2. & 6.* [Quem cæli cælorum capere non possunt.] Consonat Hymnus Ecclesiæ de Deipara: [quem totus non capit orbis,] intelligi nequit vnum, esse intra aliud, & concipi si simul non sit extra illud: nam quod continetur iisdem terminis loci, quibus aliud vere ab ipso capitur: Deus est intra mundum, & cælum, ut docent communiter Patres, & sumitur ex locis Scripturæ, quibus dicitur replere orbem, si ergo non capitur debet esse extra vtrumque. Ex quo testimonio eandem veritatem probat Maior. 9. 2. *citata*, & nonnulli recentiores: tertium habetur *Isaia 9. 40.* [Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit,] quibus verbis significatur Deum vniuersam cæli, ac terræ machinam pugillo manus suæ comprehendere, & sicut manus manet exterior iis, quæ pugno continet, ita Deus manet extra vniuersam creaturam, quod testimonium ad hoc ipsum usurpant Patres Gregor. *lib. 1. mor. cap. 8. in id. Iob 1.* [egressusque est Satan à facie Domini.] *homil. 17. in Ezechiel. à medio.* Athanas. *de vniuersa*, ac sempiterna substantia Trinitatis, *lib. 5. in fine.* Hieronym. *Isai 66. initio*, & in id. *Ezechiel. 40.* [& introduxit me in atrium,] Hilarius *lib. 1. de Trinitate, non longe à principio*, & Petrus Damian. *Epist. 4. de Dei omnipotentia, c. 6.* Quantum denique habetur *Isai. 66.* [cælum mihi sedes est:] nam sicut sedens eminet, atque extat supra sedem, ita quoque Deus est supra cælum. Quo testimonio hoc ipsum confirmat Athanas. Hilar. Hieronym. Greg. & Petrus Damianus *loc. cit.* & Cyrill. Hier. *Cateches. 6.* vbi [sedes inquit ipsi cælum, sed illud tamen excelsit sedens.]

37 Ad hanc etiam sententiam confirmandam deservient testimonia Sanctorum Patrum, qui aiunt Deum esse super cælos, supra mundum, supra omnia. Respondent recentiores illis loquendi modis noluisse Patres significare, excessum diuinæ immensitatis super spatia locorum creaturæ, sed diuinæ potentia super res omnes, quod colligunt ex Augustino, *libro de nativitate boni, contra Manicheum, cap. 3.* [vbi Deus inquit ita supra omnem creaturam modum est, super omnem speciem, supra omnem ordinem, nec spatiis locorum supra est, sed ineffabili, & singulari potentia, à quo omnis modus, omnis species, omnis ordo.] Hec responsio simul cum verbis Diui Augustini, probat quidem Patres quando aiunt Deum esse supra res creatas

aliquando significare voluisse excessum, & eminentiam diuinæ naturæ, vel potentia, quod gratis concedimus, & ita Patres sæpe expresse affirmant Deum esse superiorem per potentiam: Gregor. & Petr. Damian. *loc. cit.* & Auctor *lib. de Specul. c. 32.* & alij. Non tamen convincitur semper posse in hoc sensu explicari; cum enim dicunt Deum esse vbiq; vel aliquid simile, quo significant Deum esse præsentem rebus omnibus per suam immensitatem, & præterea adducunt esse super cælos, supra omnia, & similia, manifeste significant velle se declarare, excessum diuinæ magnitudinis virtualis super omnem magnitudinem, & locum creaturæ; ita vero loquitur S. Macharius senior Ægyptius *homil. 12.* [Deus inquit] est vbiq; & super cælos,] Damascen. *lib. 1. de fide, cap. 16.* [Deus incircumscribitur cuncta replens & supra omnia emens, totus in omnibus, & totus super omnia,] & Elias Cretensis in orat. 1. *apologeticam, Nazianzen. pas. 41.* [Quis nescit eum vbiq; præsentem esse omnia implere & supra omnia esse?] & in oratione 24. quæ est in Ægyptiorum aduentum *pas. 653.* [Quis locus Dei esse possit, qui cælum, ac terram implet, atque vbiq; præsens est, & omnia superat?] accedit, quod Patres aliquando expresse declarant loqui se de excessu diuinæ magnitudinis super omnem locum creatum Damascen. *lib. cit. cap. 17.* [Deus inquit] vbiq; existens, & super omne vbiq;. Imo Concil. Ephesin. *tom. 1. cap. 6.* ex sententia Cyrilli Alexandrini asserit naturam diuinam esse omni termino, ac loco, etiam imaginario superiorem.

Ad hunc etiam loquendi modum spectat, quod Patres dicunt Deum omnia creata excedere, supereminere, transcendere, & similia, quæ verba quamvis absolute sumpta intelligi possent de excessu diuinæ perfectionum super creatas, tamen sæpe non admittunt huiusmodi interpretationem, aperte enim significant excessum diuinæ immensitatis super omnem magnitudinem & locum creatum. Imprimis enim Cyrillus Alexandrinus *loc. cit.* à Concilio Ephesin. *tom. 1. & cap. 4. tom. 6. cap. 1.* expresse affirmat Deum immensitate sua omnia excedere, & Gregor. *lib. 10. Moral. cap. 7. in id. Iob 11.* [excellior cælo est, cælo inquit] est excellior, quia incircumscriptione sui spiritus cuncta transcendit.] Deinde alij Patres, quamvis non dicant quasi in actu signato diuinam immensitatem, excedere omnem locum creatum, tamen asserentes Deum esse in omni loco & in omni re, & illa omnia excedere, aperte significant loqui se de excessu immensitatis, non vero naturæ diuinæ. Ita vero loquuntur Ambros. in id. *ad Ephes. 3.* [ut positis comprehendere, quæ sit latitudo, &c. sphaera, inquit] definito modo concluditur. Deus autem non solum implet omnia: sed excedit, ut solus ineffabilis, & infinitus habeatur.] Cyrill. Hierosolym. *Cateches. 6.* [In omnibus locis existens à nullo tamen comprehensus, sed ipsi cælum, sed illud tamen excelsit sedens.] Hilar. vbi supra. Nullus inquit, sine Deo neque vllus non in Deo locus est inest interior, & excedit exterior, Theodotus Ancyra Episcopus *hom. in Natalem, versus finem*, habetur *tom. 6. Concilij Ephesini capite 10.* [In Christo inquit] omnis diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat, sed o rei miraculum? tota diuinitatis plenitudo in vno habitat corporaliter, & nihilo tamen secus reliqua omnia adimplet, & ita implet, ut vniuersam creaturam excedat,] & Gregorius *hom. 8. in Ezechiel. paulo ante medium*, [Deus vbiq; est, & vbiq; totus ponamus ante oculos mentis, quæ illa natura sit, quæ

Quaest. IV. An Deus sit in spat. imagin. 213

qua tenet omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, superexcedit omnia. Similia inquit Auctor lib. de speculo cap. 2. apud Augustinum. 9.

39 Secundo faciunt illi Patres, quia aiunt Deum esse extra omnia, exteriorem rebus omnibus, vel iis exterius, aut forinsecus circumfundi: hoc argumentum conantur eludere recentiores aliqui Theologi, dicentes hanc dictam esse à Patribus propter incircumscriptionem essentiae diuinæ, quæ non est in loco circumscripta aut definitiue: non vero quasi instat corporis sit extra creaturas. Verum, quamuis non sit ad modum corporis, est tamen ad modum spiritus, si crearetur extra ecelum, extra quod etiam vere Deus habet existentiam actuaalem: si enim non habet, quomodo dici potest esse extra mundum, aut exterius rebus omnibus circumfundi, vt loquitur Hieronymus *Isai. 66. initio, & in Ezechiel. 40.* [Et introduxit me atrium.] & Hilar. *vbi supra.* Nam illud, quod nullo modo habet esse extra terminos alterius, sed solum cum illo, & in illo existit, extra illud non est, neque exterius, aut forinsecus circumfunditur. Nec ad veritatem harum locutionum sufficit diuinitas secundum essentiam, ita vt diuina ratione suæ perfectionis creatas omnes quodammodo supergressa exterius ambiat, continens omnem illarum perfectionem, & plures alias in infinitum: nam anima perfectior est corpore, itemque daemon, neque tamen illa dicitur esse exterior corpore quod informat, vel hic corpore, quod obsidet.

Accedit, quod Patres diuinam magnitudinem respiciunt cum ita loquuntur, vt patet apud Dionysium *cap. neno. de diuin. nominib.* [Extrasecus (inquit) super omnem magnitudinem funditur.] Hieronymus *Isai. 66. initio,* [acne arbitremur (inquit) celo quoque, & terra dei magnitudinem metiendam, in alio loco de eo legimus, qui tenet celum palmo & tertiam pugillo, per quæ ostenditur deus, & forinsecus, & intrinsecus, & infusus, & circumfusus, dum, & folio ambigente non concluditur, & pugillo concludit, & palmo.] Greg. Magn. *citato libro secundo Moral. cap. 8.* & Auctor *libro de speculo, cap. trigesimo secundo, Petr. Damian. Epistol. 4. de Dei omnipotentia, cap. 6.* [Exterior (inquit) est per magnitudinem.] & Alcuin. *libro secundo de Trinitate, cap. quarto.* Deus exterior est, vt omnia concludantur ab eo, non locali magnitudine, sed potentiali præsentia, qua vbique præsens, & omnia illi præsentia; si ratione præsentiae omnia concludentis est rebus exterior, vtique non propter immensitatem perfectionis, sed magnitudinis virtualis dicitur exterior. Hoc ipsum expressit Isidor. *libro 1. sententiar. de sum. bono, cap. secundo, 3. tertio,* sic enim ait: [immensitas diuinæ magnitudinis ita est, vt intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum, extra omnia sed non exclusum, & ideo interioriorem vt omnia contineat, ideo exteriorem, vt incircumscripita magnitudinis suæ immensitate omnia concludat.] Quæ verba etiam usurpant Auctor *lib. de speculo cap. 22.* & Alcuin. *loco citato,* idem aperte significant Patres, qui dicentes Deum esse vbique vt significant excessum diuinæ immensitatis super omnia loca, addunt esse extra omnia. Ita Athanasius, *Epistol. 1. ad Serapion. de Spiritu sancto,* dicens, [Verbum, & Spiritum sanctum esse vbique, & extra omnia.] & August. *lib. de cognitione vera vite, cap. 20.* [vbi scilicet in omnibus & extra omnia est totus.]

SVBSECTIO II.

Rationibus probatur nostra conclusio.

40 Primo, quia omne quod continetur sub termino vel obiecto præsentiae creata continetur subiecto vel termino præsentiae increatae, & im- participatae: sed omne id quod est terminus vel obiectum præsentiae diuinæ increatae, & im- participatae terminat formalissime ipsam præsentiam diuinam: ergo omne quod est terminus vel obiectum præsentiae creatae, vel quod est sub tali termino adequato terminat ipsam præsentiam diuinam formalissime.

41 Sed spatium imaginarium est terminus, qui formalissime terminat præsentiam creatam: ergo spatium imaginarium est terminus qui formalissime terminat præsentiam diuinam increatam, & im- participatam.

42 Tunc sic, omne id quod terminat formalissime præsentiam alicuius tanquam proprius terminus illius est, cui est præsens formalissime res, cuius est illa præsentia: sed deus habet præsentiam, cuius terminus formalis est spatium imaginarium; ac proinde spatium imaginarium formalissime terminat præsentiam diuinam, & increatam: ergo deus per talem præsentiam formalissime est præsens spatio imaginario. Maior prima & præcipua est euidentia, ideo omne quod continetur sub obiecto vel termino scientiae creatae continetur sub obiecto vel termino scientiae increatae, quia ipsa scientia creata, cuius terminus est ille, continetur sub scientia increata propter proportionem quæ datur inter scientiam, & obiectum & etiam omne obiectum potentiae creatae continetur sub obiecto vel termino potentiae increatae, quia ipsa potentia creata quatenus creata participatur ab increata, & continetur sub illa ratione cuius obiectum potentiae creatae debet esse pars obiecti potentiae creatae.

43 Sed etiam præsentia creata, & participata, quatenus talis continetur sub præsentia diuina participatur ab ea, & est participatio illius: ergo etiam obiectum seu terminus præsentiae creatae continetur sub obiecto præsentiae increatae, est pars illius, & participatur ab ipso: consequentia est euidentia, quia vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed tota ratio formalis propter quam obiectum, seu terminus scientiae & potentiae creatae sunt terminus, & obiectum etiam scientiae & potentiae diuinæ, & continetur sub obiecto illius, est quia talis scientia, & potentia creata, cuius obiectum est illud continetur sub scientia, & potentia increata, & participatur ab illa; nam propter proportionem quæ datur inter potentiam, scientiam, obiectum, & terminum quantum ad hoc, quidquid dicitur de vno dicitur de altero: sed etiam præsentia creata participatur à præsentia increata, & continetur sub illa: ergo etiam obiectum seu terminus præsentiae creatae est terminus seu obiectum præsentiae increatae, & continetur sub obiecto illius, quæ continentia est effectus formalis illius rationis formalis, quæ datur in obiecta scientiae & potentiae. Minor prima, & præcipua est certissima ex ipsis terminis, quia impossibile est quod contineatur aliquid sub termino alicuius potentiae vel quasi potentiae, & non sit terminus illius, sicut impossibile est quod albedo contineatur sub termino potentiae visuæ, & quod non sit terminus illius.

D d 3 impof

impossibile est etiam quod Petrus contineatur sub termino relationis paternitatis, & quod non sit terminus illius, & tandem impossibile est quod ante Christus contineatur sub termino adequato omnipotentiae, & quod non sit terminus inad-
 equatus illius in quo non est multum immoran-
 dum cum ex ipsis verbis liquido constet: sed im-
 possibile est quod aliquid sit terminus alicuius
 potentiae vel quasi potentiae quin formalissime
 terminet talem potentiam vel quasi potentiam,
 quia terminus a terminando dicitur, sicut albe-
 do a dealbando, & relatio a referendo; nam si
 terminus nullomodo terminat eodem modo di-
 cetur terminus; ac dicitur vivens, quod nullo-
 modo vivit, sed potius omnino inanime est,
 quod quam sit absurdum lipsi, & tonsoribus
 notum est; nam impossibile est quod detur actus
 primus qui non possit exercere actum secundum,
 sed terminus est actus primus terminandi: ergo
 non potest dari terminus quin possit terminare,
 itaque in tantum dicitur terminus, in quantum
 aliud ab ipso terminatur: sed non potest termi-
 nari aliquid ab alio, quin id, a quo terminatur
 terminet ipsum, quia nunquam datur vox passi-
 va, sine activa, quia sunt sinonima, vel quasi
 sinonima & inter sinonima nulla datur separa-
 tio, & divisio cum sint idem omnino: ergo si
 terminus formalitatis divinae v.g. scientiae vel
 potentiae est id, a quo terminatur illa, sine du-
 bio terminus erit, qui terminat illam, vel qui
 poterit terminare ipsam; unde si formalitas in
 actualitate consistit, nunquam dabitur terminus
 talis formalitatis quin actu terminet illam, sed
 praesentia divina consistit in actualitate existendi
 praesentialiter, vel faciendi Deum actu praesen-
 tialiter vel faciendi Deum actu praesentem: ergo
 terminus eius erit terminus, quatenus actu ter-
 minat talem praesentiam.

44 Secunda minor principalis est manifesta, quia
 coelum empireum habet formalissimam praesen-
 tiam, sed praesentia coeli empirei est formalitas
 relativa, quae quatenus talis debet habere ter-
 minum: ergo praesentia coeli empirei vel ultima
 sphaera habet formalissimum terminum, sed ta-
 lis formalis terminus est praesens coelum per ta-
 lem praesentiam, & nulli alij est praesens coe-
 lum empireum nisi spatio imaginario, nam vlti-
 ma superficies convexa coeli empirei replet illud
 spatium, ac proinde est praesens ipsi cuius ratio
 est manifesta, nam talis superficies convexa
 coeli empirei est praesens alicui, sed non est aliud,
 cui sit praesens nisi spatium illud: ergo termi-
 nus, cui est praesens coelum empireum non est
 aliud nisi spatium illud vacuum, quod vocatur
 imaginarium: ergo coelum empireum habet pro
 termino formali spatium imaginarium in ordine
 ad suam praesentiam.

45 Praeterea, si Deus nullum aliud corpus crea-
 visset nisi coelum empireum, sine dubio coelum
 empireum esset praesens ubi nunc est: sed non
 esset praesens sibi ipsi, quia praesentia est conce-
 ptus relativus & non absolutus; ac proinde est
 ad aliud praeter praesens: ergo esset praesens alte-
 ri praeter se, sed non esset aliud cui possit esse
 praesens nisi spatium illud vacuum: ergo coelum
 empireum haberet pro termino suae praesentiae
 spatium illud imaginarium, & eodem modo vrge-
 tur supponendo ut verum id quod Theologi as-
 serunt, videlicet Christum esse stantem supra
 superficiem connexam coeli empirei, in quo nul-
 la est difficultas, & minor si ponatur casus de
 possibili, in hoc igitur casu caput Christi Do-

mini est praesens vere & realiter, sed non est
 praesens alteri praeter spatium imaginarium: ergo
 spatium imaginarium est terminus praesentiae ca-
 pitis Christi formalissimus?

46 Praeterea supponamus neque esse coelum empy-
 reum, neque corpus illud in mundo, & quod
 creet Deus Angelum in hoc spatio ubi existit
 mundus, tunc Angelus haberet praesentiam: er-
 go esset praesens vere & realiter, quia impossibi-
 le est, quod detur forma in subiecto capaci, quin
 constituat illud in esse effectus formalis, sed illa
 praesentia Angeli est relatio ad terminum forma-
 lem, cui est praesens: ergo Angelus per illam
 praesentiam esset praesens alicui termino, sed non
 est aliud quod possit esse terminus talis relationis
 seu praesentiae Angelicae nisi spatium illud, in
 quo est: ergo spatium imaginarium seu vacuum
 est terminus formalissimus praesentiae creatae, &
 quod terminat formalissime illam.

Dices Angelum ibi non habere praesentiam.

47 Sed contra manifeste, quia ad omnem exi-
 stentiam, siue creatam, siue increatam actualem
 ut distinguitur ab existentia possibili praeterita,
 & futura sequitur praesentia actualis, quia im-
 possibile est quod aliquid ita existat tempore praes-
 enti, & non sit praesens actu, sicut impossibile
 est quod aliquid habeat futuritatem; aut men-
 suretur sola duratione futura, vel praeterita, &
 non sit praeteritum aut futurum: sed quod actu
 existit in praesenti duratione est: ergo in praesenti
 est: ergo praesens est, sed quod praesens est qua-
 tenus coneretur est, debet habere praesentiam,
 quae est abstractum formale constitutum illius,
 sicut album necessario habet albedinem, & vni-
 tum unionem: ergo Angelus, qui actu existit
 formalissime in praesenti duratione & formalis-
 sime differt a futuro pure a puro praeterito, & pu-
 ro possibili, ac proinde est formalissime praesens,
 necessario debet habere praesentiam formalissi-
 mam, per quam actu sit praesens alicui.

48 Declaratur, & vrgetur amplius, quia omnis
 gradus entis habet aliquod exercitium formale,
 siue virtualiter ut in Deo, siue formaliter ut in
 creaturis distinctum ab ipso gradu a parte rei, ut
 videre est in substantia, cuius exercitium est
 substantia in accidenti, cuius exercitium est
 inhaerentia in ente intellectuali, cuius exer-
 citium est intelligere, &c. Sed ens actu existens
 quatenus distinguitur ab ente possibili, futuro,
 & praeterito, & quatenus existit actu in duratio-
 ne, praesenti, & ratione illius dicitur praesens,
 non potest habere aliud exercitium nisi actua-
 lem, & formalem praesentiam: ergo omne ens
 actualiter existens habet actualem, & formalem
 praesentiam: sed Angelus est actualiter existens:
 ergo Angelus habet, aut haberet in casu posito
 formalissimam praesentiam ad aliud tanquam ter-
 minum quia praesentia est relatio, aut secun-
 dum dici, aut secundum esse, ac proinde est ad
 aliud, cui sit praesens, sed non est aliud, cui
 in illo casu esset praesens Angelus nisi spatium
 illud: ergo spatium illud vacuum omni corpore
 esset terminus formalis praesentiae Angeli.

49 Ultimo sic vrgetur, quia Angelus in illo casu
 moveretur localiter, & ex una parte spatii ad
 aliam progrediretur, ut modo in hoc mundo pro-
 greditur & probabile est, ut multi Doctores as-
 serunt, supra coelum empyreum in spatio illo mo-
 ueri Angelos assistentes Christo Domino tan-
 quam supremo Regi, & Imperatori, in quo nul-
 la est difficultas, quia motus Angeli, seu po-
 tentia motiva illius non dependet a corporibus, &

Quaest. IV. An Deus sit in spat. imag. 215

& ideo si Deus nullum corpus produxisset sine dubio moueretur si vellent Angeli: sed motus localis est productio & fieri praesentiae, seu ubi: ergo si Angelus moueretur localiter daretur in Angelo producta praesentia localis, aut factum ubi, quia nec per potentiam Dei absolutam potest dari fieri sine facto esse productio sine productio, quia productio est relatio, & productum terminus illius: sed non potest dari relatio sine termino: ergo non potest dari productio sine producto, & fieri sine facto esse, sed motus localis est productio praesentiae, & fieri illius: ergo non potest dari motus localis sine praesentia.

49 Tunc sic, sicut motus localis est relatio ad praesentem, & ideo non potest esse sine praesentia, ita etiam praesentia est relatio, seu determinatio rei ad spatium faciendo illam praesentem formaliter illi: ergo si in spat. vacuo, seu imaginario daretur Angelus mouens se localiter, Angelus haberet praesentiam in spat. imaginario, per quam formaliter Angelus esset praesens ibi formalissime: ergo iam creatura per suam praesentiam formaliter terminatur ad spatium imaginarium, & spatium imaginarium est terminus formalissimus, qui terminat formalissime praesentiam creaturae ad ipsum.

50 Quod autem omne id quod terminat formalissime relationem praesentiae, seu connexionis illius sit id, cui per praesentiam res est praesens formaliter, patet manifeste, quia omnis relatio, siue transcendentalis, siue praedicamentalis, seu omnis formalitas dicens connexionem, aut ordinem secundum dici exercetur formaliter circa suum terminum constituendo subiectum, in quo est in formali exercitio suo, v. g. quia terminus formalis Paternitatis est filius, aut homo genitus ab alio, Paternitas ipsa constituit formaliter hominem generantem in esse Patris respectu hominis geniti, & in exercitio proprio circa illum, & quia intellectio diuina est relatio secundum dici ad obiectum, constituit Deum in esse intelligentis tale obiectum, & quia omnipotentia est quasi relatio, aut connexio Dei cum creaturis producibilibus, quae sunt terminus illius constituit Deum in exercitio proprio circa creaturas producibiles producendo ipsas, sed praesentia localis est relatio, seu praedicamentalis, seu secundum dici quod certius est, siue transcendentalis ad locum, vel spatium: ergo quidquid fuerit terminus formalis illius, & terminauerit formaliter illam erit id circa quod praesentia localis constituit subiectum praesens formalissime, exercendo illud in esse praesentis circa talem terminum.

51 Vigetur, ac declaratur amplius, quia in eo quod corporis est capax, potest esse diuina substantia non minus antequam recipiat corpus, quam postquam receperit: ergo sicut in spat. quod occupat mundus esse potest modo diuina substantia, ita esse potuit requie ipsa fuit ex aeternitate ante mundi creationem, & pari ratione fuit in infinito spat. per quod extra caelum producere & extendere potest, quantacunque magnitudinis corpora, & ratio a priori est, quia prius natura debet aliqua causa esse secundum suam substantiam praesens alicubi, quam ibidem immediate suam operationem exerceat: ergo prius saltem natura est Deum secundum suam substantiam extra caelum, quam ibidem nouum mundum producat, cum ergo semper possit producere Deus ut causa infinita, & infinite efficax, & potens, ac proinde omnipotens in quocunque spat. extra caelum nouum mundum, sit, ut semper fuerit, semperque

futurus sit formaliter praesens in toto eo spat. secundum suam substantiam: manifesta sunt omnia potestque primum antecedens demonstrari argumentis, quibus supra probauimus, neque de potentia Dei absoluta posse agens operari ubi non est praesens, quia actio quatenus est modus extrinsecus agentis petit essentialiter saltem quoad locum, hoc est extrinsecè esse inseparabilem ab agente, dum existit intrinsecè in termino producto, videantur ibi late dicta, quae hoc manifeste, & clare probant.

Deinde ipsum antecedens ex eo etiam corroborari potest, quod praesentia, seu coniunctio agentis immediati cum passio ex eo asseritur ab Aristotele 7. *Physicorum* & 1. de *generatione necessaria ad actionem immediatam*, quoniam illa est proxima atque debita collocatio agentis, & patientis ad actionem immediatam, eo quod agens transmittere non possit actionem in id, quod distat, nisi prius agat in medium: appropinquatio vero ex omnium sententia prior est tempore vel natura, quam sequatur actio tanquam conditio ad actionem praerequisita.

Quod, si quis dicat spatium non esse aliud quam concauum corporis continentis, quare cum ante creationem mundi nullum corpus continens fuerit nullum prorsus fuisse spatium.

Occurrendum erit hoc modo; in primis totus mundus dicitur occupare spatium tantae magnitudinis, quanta est diametri mundi longitudo; neque tamen datur concauum, quod tale spatium contineat, aut quod totum mundum in se contineat. Deinde flante vento ipse ego immotus manens dicor esse in eodem spat. in quo antea eram, & tamen non sum in eodem concauo corporis continentis, cum aliud, ac aliud vento flante successerit: ergo spatium & concauum corporis continentis non sunt idem. Adde quod Deus potest redigere in nihilum corpora omnia, quae intra orbem lunae continentur, & conseruare latera orbis lunae, ubi modo sunt; tunc autem si collocet lapidem in centro illius spatij vacui, spatium, quod lapis occupabit, distabit à concauo lunae longo intervallo, quod corpore carebit, aptum tamen erit corpore repleti: ergo spatium, & concauum continentis non idem sunt; sed spatium est capacitatis tanta, quantum est corpus quod in se valet recipere, quae perinde cogitatione diuidi potest in tot aequales partes, in quot corpus ipsum distribui potest.

SVBSECTIO III.

Alias rationes pono.

55 VT autem quoddam efficax argumentum desumptum ex D. Augustino, lib. de *essentia diuinitatis*, Achanasio, lib. 5. de *sempiterna substantia Trinitatis*, Ricardo de sancto Vict. lib. 2. de *Trinit.* cap. 23. eorum verba ad litteram proferam, & in primis Augustini verba haec sunt: [extra omnia est, sed non exclusus in omnibus, & in quacunque re, & per omnia spatia diffusus utique non diuisus, sed indiseretus; quia in omnibus continuare existit.] D. vero Athanasius sic loquitur, [ut ubique praesens est haec indisereta sempiterna Trinitas, immensus Deus est, neque à se diuisus, neque in se separatus; quia in omnibus spatiis immensus.] Nec minus clare Ricardus docet hanc veritatem.

tatem his verbis, [si essentialiter ubique est ergo & ubi locus est, & ubi locus non est, erit: Itaque & intra omnem locum, & extra omnem locum, erit supra, erit infra omnia, intra omnia erit, & extra omnia; sed quoniam simplicis naturæ est Deus, non erit hic, & ibi per partes diuisus, sed ubique totus erit. Itaque in quantulacunque cuiuslibet parte totus totus, & in toto totus, & extra totum totus, sic igitur extra omnem locum totus, in nullo loco concluditur, &c. Itaque omnes isti doctores deum asserunt ratione immensitatis ita esse in omnibus locis, & spatiis, ut ratione illius neque sit diuisus à se, neque discretus, aut separatus à seipso; sed si Deus non esset in spatiis imaginariis infinitis, hoc est in vacuo sine fitione in immensum reperto extra cælum Deus esset diuisus, & discretus à seipso: ergo Deus est in spatiis imaginariis. Minor sic probatur, quia Deus potest condere extra hunc mundum alios mundos, non contiguos sed maxime distantes à se & distinctos, aut separatos, qui minime se contingerent; Deus enim esset tunc præsens formaliter duobus illis mundis separatim inter se, & distantibus; tunc enim interrogo, an Deus esset in vacuo interiecto, seu medio inter duos illos mundos, vel non? si esset: ergo tam esset præsens spatio imaginario seu vacuo, & sic habemus intentum.

Cum autem non sit maior ratio de illo vacuo limitato, quam de immensis extra cælum: ergo Deus esset præsens omnibus illis; si autem non existat in vacuo intermedio: ergo existit discrete, ita ut non continue existat eo modo, quo existit in toto hoc mundo, in quo continue existit sine ulla discretione in præsentia ratione extensionis infinitæ virtualis: ergo Deus quatenus est in hoc mundo ratione præsentia esset diuisus à seipso habendo præsentiam discretam, unde propterea est in hoc mundo distaret à seipso propterea est in alio distincto, & discrete ab hoc: exemplo declaratur hæc veritas; nam si Petrus esset in duobus locis, verbi gratia, hic & Romæ, & non in intermediis locis, & idem est de Angelo; nam si Deus poneret Angelum simul in cælo Empyreo, & in hoc cubiculo, sine eo quod existeret in intermediis corporibus, non essent continue Petrus, & Angelus, sed potius discrete quoad præsentiam; quapropter quoad illam, sicut loci in quibus existunt præsentia, distarent inter se; ita similiter Petrus propterea est hic, distaret à seipso præsentia- liter propterea est Romæ, & Angelus propterea est in cælo Empyreo, distaret à seipso propterea esset hic, cuius argumentum est manifestum, quod Angelus per verum motum localem posset moveri ex cælo Empyreo versus seipsum propterea existit hic. per quem motum sine dubio sibi ipsi appropinquaret localiter, & in Petro est certissimum; unde si Petrus ab urbe Romæ moveretur versus Limam, ubi etiam est, ita posset moveri, ut totaliter sibi ipsi appropinquaret, existendo in loco contiguo, & immediato illi, in quo antea erat; unde cum Petrus antea esset, & non esset sibi appropinquatus quoad præsentiam, neque contiguus, & postea per motum localem sibi appropinquatur, & contiguatur, manifeste, & euidenter sequitur fuisse antea distantem à se; & quia non erat continue à Roma usque ad Limam, pater fuisse discrete quoad præsentiam, sicut & loci ubi est, essent discreti; quis enim dubitat, corpus Christi consecratum in hostia consecrata Limæ esse diuisum, discretum, separatum quoad præsentiam sacramentalem à seipso propterea est in hostia consecrata Romæ; quia non est eodem modo in his duabus hostiis, ac est

in eadem hostia continue per totam illam; quapropter licet Christus, Angelus, & Petrus, suppositis talibus miraculis de existentia in duobus locis distantibus inter se non existendo in intermediis locis, non essent diuisi, discreti, & separati quoad entitatem; quia entitas illorum non erat in se entitatie diuisa, nihilominus tamen omnes fatentur miraculose quoad præsentiam, & ubi seu localiter esse diuisos, discretos, & separatos à seipso, quia essent in duobus locis distantibus, discreti, & diuisi à seipso, non existendo in intermedio spatio.

Sed Deus etiam esset in duobus illis mundis, diuisus, discretus, & separatus maxime inter se, & non esset Deus præsens in spatio, aut vacuo interiecto: ergo Deus, licet entitatie non esset diuisus à seipso, nihilominus quoad præsentiam localem esset diuisus, discretus, & separatus à seipso. Quod est absurdum magnum refutatum à D. Augustino, & ceteris doctoribus, ac Sanctis Patribus in principio huius rationis adductis, quod sufficit, ut à nobis non possit affirmari sine magno inconuenienti; quia licet nos non penetremus nucleum huius inconuenientis, quia sapientissimi maxime fide digni Doctores clamant, nos fugere debere tale absurdum, & inconueniens, quia tanti ponderis auctoritas nos per principia extrinseca saltem debet mouere, si rationaliter loquendum sit nobis, ut tale absurdum fugiamus, quia sine dubio maximum fundamentum habuerunt Sanctissimi æque ac sapientissimi Doctores ad id asserendum, & clamandum non posse tale incommodum & absurdum deglutiri.

Exemplo declaro hoc, si aliquis homo fide dignus minime nugis assuetus serio, & grauissime loquens, clamaret me transeuntem per aliquem locum ne illac pergerem, nec ulterius progrederer; quia maximum damnum sine dubio, ac detrimentum me esse incursum, quis dubitat, nisi amens essem, & mentis inops, quin statim deberem fugere tale periculum ac detrimentum pronunciatum, & relatum ab homine illo grauissimo, ac fide digno, etiam si illud non viderem; quia si illud oculis viuperem, non iam propter auctoritatem illius hominis, sed potius propter euidenciam talis periculi moueretur ad retrocedendum à motu incepto; homo autem cordatus ne in maxima inconuenientia incidat, ut quotidie nos experientia docet, non solum euidenciam immediatam, sed etiam extrinsecam auctoritate grauissimorum Doctorum debet commoueri ad hoc, vel illud faciendum, vel ab hoc, & illo abstinendum; quia vix in hac vita propheta euidenciam, aut euidenciam præcedenti frui possumus.

Item si D. Augustinus, Hieronymus antequam definiretur in Ecclesia tot Conciliis generalibus, clamaretur, nullum catholicum posse dicere, Patrem æternum esse aliud à Filio, licet sana doctrina possit dici esse aliud ab ipso, & hoc ita certo assereretur ab ipsis, ut diceretur esse hæreticum ita loqui, ut certissimum est esse hæresim si aliquis esset cordatus, & prudens, & macte indolis sine dubio etiam si non videret inconueniens, deberet illud fugere.

Ergo si Sancti Doctores asserunt, deum ratione immensitatis, & ratione suæ infinitæ præsentia, nullo modo habere præsentias discretas, sed potius continue debere existere in locis extensis, neque posse esse diuisum, & separatum à seipso quoad præsentiam; sicut creature possunt ergo à nobis etiam si euidenter non cognoscatur incon-

Quaest. IV. An Deus sit in spat. imagin. 217

inconueniens, & absurdum, sine dubio fugiendum est.

60 Nunc autem demonstro inconueniens: entitatie Angelus non potest esse diuifus à se adhuc per potentiam Dei absolutam, quia entitas Angeli est una, & indiuisibilis, ac simplicissima entitas, & nihilominus potest quoad praesentiam esse discretus à se & diuifus in diuersis locis, quia praesentia, qua existit in diuersis locis non est una, & indiuisibilis, sed potius sunt plures realiter distinctae à se, nam si esset una, & indiuisibilis nullo modo posset diuidi, & separari à se ipsa; quia quidquid separatur ab alio distinguitur realiter ab illo; unde quando aliquid separatur à seipso quoad aliquam formalitatem, illa formalitas non debet esse una, & eadem, sed distincta realiter, alias neque quoad illam formalitatem separaretur; sicut quoad entitatem non potest separari cum tam indiuisibilis sit quoad formalitatem illam, ac quoad entitatem; ubi enim est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis; sed tota ratio propter quam entitatie idem non potest diuidi à seipso, neque in seipso, est quia non est plures, sed una, & indiuisibilis entitas in se, & à se (ut ita loquar) seu respectu sui ipsius, ut melius, & purius dicam concepti adaequate, & totaliter: atqui in illa formalitate etiam datur eadem ratio formalis indiuisibilitatis, unitatis & identitatis: ergo datur idem effectus formalis scilicet quod non possit diuidi, & separari quoad illam formalitatem, sicut non potest diuidi, & separari quoad entitatem propter eandem rationem.

61 Sed Deus in hoc distinguitur ab omnibus creaturis, ratione suae infinite actualitatis, eminentiae, excellentiae & perfectionis, quod non solum habeat entitatem omnino indiuisibilem, omnino una, sine diuisione, distinctione, & pluralitate, ac proinde cum infinita identitate, sed etiam praesentiam propriam, quae adeo simplex, & indiuisibilis est, ut nullo modo possit esse plures à parte rei; neque villo modo possit diuidi, sicut ipsa entitas Dei, & ratio est, quia praesentia Dei, & ubi est idem quod ipsa essentia, & entitas Dei, & ex alio capite neque specificatur, neque dependet à locis quod non habent creaturae, nam praesentiae earum distinguuntur ab ipsarum entitatibus à parte rei, & suo modo dependent à locis, & ideo dicuntur ultimae determinationes ad illos, ratione cuius haec praesentia ita est limitata, & alligata huic loco seu spatio, ut non possit esse in alio, & sic tot sunt praesentiae realiter distinctae, quot sunt loca, & spatia, ad quae determinantur, & limitantur; unde si praesentia Angeli, per impossibile esset idem, quod sua essentia à parte rei; sicut sua essentia non posset diuidi, neque etiam praesentia.

62 Sed praesentia, & ubi Dei est idem quod sua essentia à parte rei formaliter, & habet eandem unitatem, indiuisibilitatem, & identitatem: ergo sicut essentia, & entitas Dei non potest diuidi à se ipsa propter illam rationem, ita similiter praesentia Dei propter eandem rationem non posset diuidi à seipso; quapropter sicut propter ipsam unitatem, & indiuisibilitatem non potest Deus entitatie diuidi à seipso; ita etiam propter eandem indiuisibilitatem in praesentia nullo modo potest esse diuifus Deus à seipso praesentialiter, neque habere discretas praesentias, aut discretionem in illa, & ideo dicebat S. Athanasius ubi supra, [ut ubique praesens est haec indiscreta sempiterna Trinitas.] Vbi non poterat loqui de distinctione personarum, quae discretio entitatie uocatur, cum secundum fidem ipse Athanasius in Symbolo docuerit, personas esse distinctas realiter: ergo negat discretionem praesentiae & essentiae Dei; quod expressius docuit Augustinus illis verbis, & per omnia spatia diffusus, indiuisus, indiscretus; quia in omnibus continuate existit. Quibus maxime similia sunt illa uerba eiusdem Athanasij, [immensus Deus est, neque à se diuifus, neque in se separatus; quia in omnibus spatiis immensus; illa enim indiuisio, & indiscretio debet intelligi secundum subiectam materiam, de qua loquebatur Doctor, & debet referri ad id, de quo proxime agebat ipse: sed agebat ipse proxime de praesentia, & ubi: ergo discretio, & diuifio, quas negat est impraesentiae, & ubi, & ideo negat quia est immensus in omnibus spatiis: ergo si aliquod spatium est, ubi non sit, praecipue si sit interiectum inter duo corpora quibus est praesens Deus, sine dubio Deus erit diuifus à se ipso.

Et ratio manifesta est à simili, quia si per impossibile inter entitatem, & entitatem Dei mediarer entitatie aliquid, sine dubio entitatie diuideretur Deus; unde si à parte rei formaliter mediarer inter scientiam simplicis intelligentiae & scientiam visionis actus liber Dei, ut quid distinctum realiter, sine dubio diuideretur realiter una scientia ab alia per actum liberum interiacentem inter utramque, sicut supra probauimus, virtualiter diuidi & per rationem formaliter; quia virtualiter & per rationem mediat entitas actus liberi inter utramque scientiam distinctam aequialenter ab ipsis.

63 Sed per vos inter praesentiam Dei in mundo A, & inter praesentiam Dei in mundo B, mediat spatium in quo non est praesentia Dei, & in quo si daretur alius mundus posset dari praesentia ipsius: ergo praesentia A, à praesentia B, diuiditur & separatur in Deo: ergo Deus habet discretionem in praesentia.

64 Præterea, quia ubi non datur continuata praesentia seu praesentiae continuatio, datur discretio praesentiae: sed Deus in illo casu non haberet continuatam praesentiam eo modo, quo existeret in omnibus partibus vniuersi cuiusque mundi, in quibus esset sine dubio continuata; quia ita esset in remotis mundi partibus, ut etiam esset in intermediis; quapropter si per impossibile Deus ita existeret in toto hoc mundo, ut existeret in partibus remotioribus, & distantibus inter se, & non in intermediis; v.g. in tota periferia, & non in centro, si partes periferiae diuiderentur, sine dubio Deus non haberet praesentiam continuatam, sed discretam: ergo si esset in duobus illis mundis distantibus, & discretis inter se, & ex alio capite non esset in intermedio spatio, seu vacuo, sine dubio mediarer vacuum & spatium inter utramque praesentiam, ratione cuius non continuata esset praesentia: ergo discrete praesens hoc est cum discretionem in praesentia, quod est impossibile & intelligibile, quod Deus habeat talem discretionem praesentiae; nam si vnus Angelus non potest esse in duobus locis discretis, nisi aliquomodo sit praesens medio spatio, quomodo potest id tribui Deo; qui maxime vnus, & simplex est in praesentia, sicut in entitate.

65 Dices, non posse Deum creare duos mundos ita distantes inter se, ut aliquod corpus reale
E c existit

existeret inter ipsos; unde non possunt creati nisi contigui.

67 Sed contra, quia hæc solutio potius excutientis est, quam sapientis; quia bene potest Deus creare tres mundos inter se contiguos, & postea annihilare intermedium, in quo nulla est implicatio: post annihilationem autem illius, sine dubio conseruarentur duo illi mundi extremi distantes; ergo sicut modo conseruat illos discretos, diuisos, & distantes inter se; potuit à principio condere, & creare. Deinde quia vnus mundus potest conseruari sine alio, vt de facto contingit, quæ est maxima remotio & distantia; ergo à fortiori potest conseruari illum mundum, etiam si localiter tantum sit distans ab alio.

68 Virgetur alio principali argumento, quia actu infinitus est in immensitate Deus non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo, quia non solum est infinitus, quia potest esse præsens, sed etiam quia est actu formalissime præsens; ergo præsentia ipsa infinite præsentem constituit, & reddit Deum actu, sed si non esset præsens spatiis imaginariis omnibus, seu vacuo immenso, non esset infinite præsens ratione præsentia: ergo Deus est præsens infinitis spatiis, seu vacuo immenso extra cælum.

69 Sequela minoris sic probatur; quia ad hoc vt Deus sit infinitus non solum in actu quasi primo debet extendi ad omne pertinens ad illud genus, sed etiam in actu secundo, debet extendi ad infinitum illius generis seu ad infinitum terminum, seu obiectum illius exercitij; v. g. vt omnipotentia in actu secundo sit infinita, & non solum in actu primo debet habere exercitium infinitum, & terminari ad infinitos terminos, & scientia Dei, vt sit actu infinita in esse cognoscentis, debet cognoscere infinita; sed præsentia Dei est infinita in actu secundo; ergo debet extendi ad infinita spatia actu; sed non dantur infinita spatia actu, nisi imaginaria & vacua; ergo ideo est infinitus in præsentia, quia est præsens per immensa spatia, sicut mare hoc, quod de facto est actu esset infinitum, si expanderetur per infinita spatia; quare quoad præsentiam semper erit finitum, quoties non fuerit præsens per infinita spatia; sed Deus est immensus, & infinitus in actuali præsentia: ergo ideo est talis, quia actu præsens est infinitis spatiis; sed positiua corpora non sunt actu infinita, & est actu infinitum spatium illud, seu vacuum extra cælum; ergo non solum corporibus, sed etiam spatio illo infinito est vere præsens Deus, & ad modum maris per totum illud expanditur, quasi concludendo intra se micam, aut punctum huius mundi; quod totum pene eisdem verbis docet Augustinus loco supra citato 7. *Confessionum*, cap. 5. ibi: [concepibam te domine ex omni parte ambientem eam, & penetrantem; sed viquequaque infinitum, tanquam si mare esset vbique, & vndique per immensa spatia infinitum solum mare, & habeat intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen plenam esset spongia ex omni sua parte ex immenso mari; sic creatura tuam finitam te infinito plenam per immensa spatia diffusam putabam.] Quid clarius, & euidentius. Quibus accedit Ambrosius *ubi supra*, ibi: [nec enim deus clauditur, sed omnia in se habet, vt solus ineffabilis, & infinitus habeatur, quia in infinitis, & per infinita diffusus.] quadrat cum his Hilarius, *li. 1. de Trinit. non longe à principio*, ibi: [atque totus ipse intra, extra se continens, neque infinitus, si abesset ab infinitis,

& non adesset cunctis, neque cuncta ei, qui infinitus est, non inessent.]

Itaque vt patet ex verbis citatis, ideo deus est infinitus in præsentia hoc est immensus, quia est infinite præsens, & ideo est infinite præsens, quia infinitis, & cunctis spatiis est præsens; sed sola positiua spatia non sunt infinita, sed finita, & sunt infinita spatia negatiua, seu vacua; ergo ideo est infinitus in esse præsentis, seu immensus, quia non solum est formaliter præsens spatiis, seu corporibus positiuis, sed etiam spatiis negatiuis. Præterea; quia vt ex omnibus locis Sanctorum Patrum in prima probatione nostræ conclusionis adductis, Deus non solum est intra, sed est extra mundum, non solum intra cælos, sed extra illos; quæ veritas adeo clara est, vt non solum S. Patres lumine supernaturali circumfusi viderint clare innitentes *Psalm* 8. ibi: [eleuata est magnificentia tua super cælos.] Sed etiam Ethnici philosophi tali splendore orbat, tenuissimæque naturali luce ducti idem docuerint; non semel, vnde Aristoteles, *de cælo* cap. 9. dicit: [extra cælum, vbi neque tempus, neque aliud quidquam ibi est infinita intelligentia] id est deus. Diogenes præterea & Trismegistus, qui dicebant deum esse sphaeram spirituale, cuius centrum est mundus, & circumferentia, & periferia extra mundum; nec sufficit respondere, id quod Granados, & alij respondent videlicet id dici, quia creatis aliis extra cælum deus esset ibi præsens, quia hoc non est esse extra cælum, sed solum posse esse extra illud in creatura, quam potest extra cælum creare, & posse esse in maiori loco, sicut se habet Angelus quando non occupat totum locum, quem potest tunc enim vere est in determinato loco minori, & non est actu in maiori, licet possit esse in illo; sed deus actu est extra cælos, & actu est in infinitis spatiis: ergo non ideo taliter est, quia potest creare extra cælos corpora, quibus præsens sit; quia secundum sententiam Granados & aliorum aduersariorum non potest deus producere infinita corpora, nec entitates actu infinitas; ergo si præsens actu est extra cælos, & præsens est infinitis, præsens erit formaliter non solum in potentia, sed actu infinito spatio extra cælum.

Dices spatia illa esse nihil, & fictitia & ideo non posse ibi esse præsentem deum.

Sed contra manifeste; quia si illa spatia sumantur vt positiua entia rationis sunt, vt tenebræ, mors, & cæcitas, si autem sumantur, vt negatiua, non est quid fictitium, sed à parte rei reperitur, quia sine fictione vlla est verum dicere totum hunc mundum à cælo Empyreo vsque ad terram non esse infinite extensum: ergo limitate extenditur, ac proinde extra mundum carentia realis datur infinitorum mundorum, quos Deus potest extra mundum producere, sed carentia mundorum realis, & vera, ac sine fictione est vacuum verum, & reale est sine fictione: ergo vacuum illud extra cælum infinitum non fingitur per intellectum, sed datur à parte rei. Deinde quando dicitur esse nihil, aut dicitur esse quid chimæricum, & hoc est falsum, vt iam vidimus, quia non est fictum, aut dicitur nihil, quia nihil positiuum est, aut non habet aliquid positiui, & in hoc genere etiam creaturæ possibiles erunt nihil, quod liquæ negationes, & priuationes erunt nihil, quod in rigore sumptum est falsum; imo si dicatur nihil ad modum harum negationum nihil impedit, quominus possit terminare formaliter præsentiam diuinam, quandoquidem potest terminare præsentiam

Quaest. IV. An Deus sit in spat. imag. &c. 219

sentiam creatam Angeli, & mundi, ut patet ex prima ratione pro nostra conclusione; nam scientia diuina actualis, quia infinita est in ratione cognoscentis, terminatur actu, non solum ad entitates positivas, sed etiam ad omnes negationes, ut ad possibilitates, cecitates, mortes, & tenebras, ac tandem ad hoc ipsum vacuum extra cælum existens, & ideo scientia diuina formaliter cognoscit omnia hæc; & Deum respectu illorum formaliter cognoscentem reddit, quia nullis terminis clauditur, sed infinitate gaudet scientia Dei, ac proinde non solum ad positivas, sed etiam ad negationes debet extendi; quare si Deus solum cognosceret positivas entitates, & actu non cognosceret etiam priuationes, & negationes dictas, actu non esset omnis eius, nec infinitus simpliciter in ratione scientis.

71 Sed præsentia dei est infinita in ratione præsentia: ergo non solum extenditur ad finita entia positiva, sed etiam ad infinita spatia negativa, & sic non solum debet reddere Deum præsentem formaliter spatiis positivis limitatis, & finitis, sed etiam infinitis spatiis negativis; sicut scientia non solum ad positiva, sed etiam ad negativa extenditur, quia in utraque est eadem ratio formalis, ac proinde debet esse idem effectus formalis extensionis ad positiva, & negativa.

72 Tandem vrgetur, quia præsentia dei, qua est præsens rebus omnibus est quoddam reale absolutum attributum dei, relatiuum tamen secundum dici, per quod habet diuina substantia id, quod omnes alie creaturæ habent per ubi intrinsecum; sed res alie omnes possunt habere hoc, aut illud diuersum spatium, quibus possint moueri, etiam si nulla esset res extrinseca, & per quæ taliter sunt in se diuerso modo, ut habeant fundamentum, quod nos necessario concipimus per præsentiam ad spatium imaginarium: ergo deus per suam naturam habet illud quasi ubi intrinsecum substantiale & infinitum, per quod concipitur præsens imaginario spatio.

SVBSECTIO IV.

Reliqua argumenta proponuntur ad nostram conclusionem roborandam.

73 **Q**uia sic se habet ante & post ad tempus creatum, & finitum, ac extra, & supra ad locum; sed deus vere dicitur fuisse ante tempus creatum, non ratione temporalis durationis, sed ratione æternitatis, ut patet ex illo Pauli ad Ephes. 1. [elegit nos in ipso ante mundi constitutionem] & Eccles. 24. [Ab initio, & ante secula creata sum, non dum erant abyssi, & ego iam concepta eram;] vnde Augustinus lib. 12. de ciuit. Dei, cap. 25. ibi: [si potentiam suam, ut ita dicam fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erant, sicut antequam fierent, non fuerunt, erat tamen antequam fierent, creator eorum; sed ante dico æternitate, non tempore.] Quapropter Proverbiorum 8. dicitur, [ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, nedum fontes aquarum eruperant, nec dum montes graui mole constiterant, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat quando præparabat cælos, aderam &c.] ergo similiter vere dici potest, deus esse supra cælum vere præsens, & vere, ac proprie, seu formaliter præsens extra mundum, quamuis non adsit vllum corpus, cui coexistat quemadmodum ante orbem conditum non fuit tempus, cui ratione æternitatis suæ res ponderet in duratione, &c.

I. P. Tom. II.

nihilominus dum omnia carebant duratione, & solum dabatur aptitudo, seu capacitas per non repugnantiam ut omnia durarent, deus actu, & formaliter vere durabat, & non solum dicebatur posse durare, sed potius actu durare per æternitatem quæ superat omnem durationem: ergo similiter Deus per immensitatem, & infinitam præsentiam, quæ superat omnem præsentiam creaturarum erit extra mundum, & extra omnes creaturas positivas; (ubi nullum est positium, sed solum spatium & vacuum negatiuum, cum quadam capacitate per non repugnantiam, ut vere repleatur corporibus, quæ ibi possint esse præsentia) vere, proprie, ac formaliter præsens in spatio illo infinito non minus, ac si esset spatium positium; quia omne positium creatum comparatum cum Deo, perinde se habet, ac si non esset, quia eo modo quo comparatur æternitas ad tempora, & durationes, ita se habet immensitas ad loca, sicut enim per æternitatem, quæ est perpetua existentia secundum temporis durationem, quæ existit Deus rebus omnibus durantibus, ita per immensitatem est præsens omnibus rebus existentibus in loco, sed per æternitatem non tantum Deus coexistit omnibus temporibus, sed etiam dicitur fuisse ante omnia tempora vere, & formaliter; ergo per immensitatem est præsens formalissime, non solum locis omnibus, sed etiam extra illa vacuis, seu carentis corporum, quia loca omnia positiva creata comparata cum Deo, ita se habent, ac si non essent, ac proinde non impediunt, quando non sunt exercitium formale immensitatis Dei, quod nihil aliud est, quam præsentia; sicut carentia existentie creaturarum non impedit præsentiam intentionalem scientie dei, per quam est formaliter præsens carentis existentie illarum, cognoscendo illas formaliter.

Consequentia hæc patet, quia sicut æternitas, & scientia sunt infinita, ita immensitas; ergo eodem modo de illis, ac de hac est loquendum, ex quo fit, ut per æternitatem Deus, qui fuit ante tempora & extra tempora omnia, dicatur vere fuisse, dum non erat tempus positium, sed solum carentia, & negatio realis temporis; ita per immensitatem sit præsens spatiis negativis, ubi non dantur corpora positiva, sed solum carentie positiorum entium; nam sicut æternitas est in omnibus finitis temporibus & infinite excedit illa, ita immensitas est in omnibus finitis locis, & infinite superat illa; sicut igitur Dei æternitas comprehendere non potest finitis temporibus, sed est etiam extra illa, id est ante illa, & post illa, quia verum est dicere, ante omnia tempora, & ante omnes durationes creatas vere, & formaliter Deus erat æternus ac proinde vere, & formaliter per æternitatem durabat; ita etiam se habet immensitas ad finita loca; ergo extra illa omnia ratione infinita præsentia vere, & formaliter existit Deus præsens non minus, ac si existeret in corporibus præsens illis, quia indignum est, Deum ita concludere ut finibus tam parui mundi, & tam exigui loci terminis concludatur, & concessis definitur, ac limitetur, ut his aureis verbis expresse docet Augustinus 1. de ciuit. Dei, c. 5. ubi probas contra aliquos pertinaciter negantes hanc veritatem, quam propugnauimus, sic inquit, [an forte substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loca, sed de ea sicut de Deo sentire dignum est fatemur inextensibilem præsentia, ubique totam, à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sumus, ut in vno tantum, atque quo mundus est occupatus non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros.] Ecce quomodo d. Augustinus

E e a stians

stinus propter infinitatem præsentiæ diuinæ, & propter spiritualitatem illius independentem omnino à corporibus asserit, Deum ita esse in hoc mundo ut non concludatur limitibus eius, nec ita includatur terminis eiusdem, ut vere sit absens ab spatiis infinitis extra mundum, neque illis vere, & formaliter sit præsens; quia ipse infaniam, & vaniloquia vocat, ita iudicare de Deo, ut dicamus ab infinitis locorum extra mundum spatiis absentem esse, & non esse formaliter præsentem, ut patet ex illis verbis, [statentur in corpore præsentiæ, vbique totam à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sumus, ut in vno tantum, &c.

74 Ultimo sic probatur principaliter, quia si deus vere, & realiter non esset in spatiis imaginariis, sequeretur, Deum posse moueri, & mutari localiter; consequens est contrarium fidei ut patet ex illo loco, ego sum deus, & non mutor: ergo deus etiam est in spatiis imaginariis, seu ut melius loquar in vacuo illo immenso, & infinito extra cælum: sequelam probo, quia deus sua omnipotente virtute posset in infinitum mouere lapidem incipiendo à conuexo cæli Empyreici extra illud, cum id nullam inuoluat contradictionem dato tali motu, vbicumque esset lapis, etiam esset deus secundum suam substantiam, quandoquidem est in omnibus rebus creatis; sed lapis esset successiue in alia, atque alia parte spatij quam de nouo occuparet, & deferret aliam; si ergo quis dicat, Deum esse in rebus creatis & non in spatio vacuo, necesse est, ut admittat Deum etiam successiue cum lapide vna deferere quasdam partes spatij, & successiue esse de nouo in aliis, ac proinde moueri.

75 Aliter probat hoc P. Suarez in hunc modum, quia deus potest operari extra mundum sine vlla mutatione sui: ergo iam actu est extra mundum. Antecedens est euidentius, consequentia patet; quia rem esse ubi operatur, non est denominatio extrinseca resultans ex operatione, aut termino eius, sed potius est aliqua proprietates, vel conditio prærequisita ex parte causæ: ergo non posset hæc de nouo conuenire Deo sine sui mutatione, solum enim denominationes extrinsecæ, vel relationes rationis quæ in eis fundantur, possunt de nouo attribui Deo; quia nullam mutationem in eo ponunt, teste autem præsentem per substantiam suam, vbicumque operatur vel operari potest, non est denominatio extrinseca, cum sit veluti conditio in illo prærequisita ante actionem.

Declaratur amplius; nam ante ascensionem Christi, verbi gratia, non erat corpus aliquod extra ultimam spheram, per ascensionem autem factum est (iuxta probabiliorē sententiam Theologorum,) ut Christi corpus sit supra illam spheram, ita ut pedes Christi sint supra conuexum eius, atque ita corpus Christi est (vel saltem non repugnat esse) extra totum hunc mundum replens illud spatium, quod antea non replebatur corpore. Nunc ergo etiam est ibi præsens deus secundum substantiam suam: ergo & ante ex tota æternitate erat ibi præsens: ergo eadem ratione est extra cælum in omnibus spatiis, quæ in infinitum ibi excogitari possunt. Probatur penultima consequentia, in qua est tota vis; nam si antea non esset ibi præsens, non potuisset incipere ibi esse præsens sine sui mutatione, sicut Christi corpus non potuit incipere esse ibi præsens sine aliqua mutatione, quia antea nullo modo ibi actu erat. Est enim quoad hoc eadem ratio; nam sicut corpus Christi non dicitur ibi esse præsens per deno-

minationem à substantia Dei, sed per aliquid, quod est in ipso quiddam illud sit, quod nomine præsentiæ, aut ubi significatur; ita etiam substantia Dei non dicitur ibi esse præsens per denominationem à corpore Christi, ut videtur per se euidentius; nam si cogitatione fingamus substantiam Dei in aliquo definito loco verbi gratia, in stellato cælo inclusam non posset à Christi corpore extrinsecus denominari præsens ibi, ubi est corpus Christi: ergo denominatur præsens ab aliquo, quod est in ipsa; non posset ergo illud acquirere de nouo sine sui mutatione. Atque hæc ratio potest simili modo fieri de toto spatio, quod nunc repletur corporibus huiusmodi; nam deus hic nunc est realiter præsens: ergo & ab æterno fuit propter eandem causam, quia scilicet non potuisset ibi de nouo esse incipere sine sui mutatione. Rursus potest simile argumentum fieri de alio mundo, quem deus creare posset; nam ille mundus esset extra hunc, & ibi esset deus: ergo esset tunc extra hunc mundum: ergo etiam nunc est propter eandem immutabilitatis rationem.

Vim huius rationis aliqui se eludere putant 76 hoc exemplo; nam deus de nouo incepit esse in cælo, & in quacunque re creata sine sui mutatione. Verumtamen non est simile; quia esse in cælo includit denominationem extrinsecam, vel habitudinem rationis ortam ex præsentia cæli, ut dimanantis à Deo, ex qua dimauratione, vel præsentia solum resultat in Deo relatio rationis, vel denominatio extrinseca, esse autem ibi, ubi est cælum, vel quælibet alia res creata, non includit denominationem extrinsecam ab illa re, sed solum id, quod ex parte Dei præsupponitur necessario ut hoc ipso, quod res alia ibi existit, & ab eo maneat, dicatur deus existere in illa, quod fundamentum non posset Deo acquiri de nouo sine mutatione; sicut Deum coexistere creaturis sub hac denominatione potest incipere de nouo, quia includit existentiam creaturæ, & denominationem ab illa, seu relationem rationis ad illam; fundamentum autem, quod ex parte Dei supponitur; ut necessario coexistat creaturæ, hoc ipso quod illa existit, non potest de nouo conuenire Deo sine sui mutatione, cum nil aliud sit, quam ipsum existere Dei.

Secundo contra, & meo videri efficacius, quia 77 quando deus est de nouo in rebus, quæ de nouo creantur, ideo hoc est quia ipsæ res ex parte sua antea non erant; nam si antea fuissent per totam æternitatem, sine dubio deus fuisset ab æterno in illis, quod autem non fuerit deus antea in illis non est ex defectu Dei, & immensitatis illius, sed potius ex defectu illarum, immensitas enim de se erat sufficiens, ut deus esset in illis præsens; si autem ita contigisset hoc negotium, ut antea extitissent, sicut nunc, & nihilominus deus non fuisset præsens illis, sine dubio non esset absentia illa ex defectu earundem creaturarum: ergo esset ex defectu præsentiæ Dei; unde ut de nouo extisteret præsens in illis, deus, qui antea non erat in illis præsens necesse esset, ut mutaretur deus in illis præsens necesse esset, & incrementum in illa, ratione cuius de nouo extisteret præsens illis, quibus antea præsens non erat, ex defectu sui, quia in tali præsentiā non est deus agens liberum, & sic existentibus creaturis quod non existat in illis talis non existentia, non debet & defectui talis præsentiæ, verbi gratia, si existente creatura, non cognosceret deus illam, ut de nouo cognosceret eandem, deberet mutari ta-

Quæst. IV. An Deus sit in spat. imag. 221

lis scientia per argumentum, & incrementum intrinsecum sui. Clarius, si deus actu non cognosceret privationes, & negationes, quæ actu dantur, & de nouo cognosceret illas, necessario mutaretur in tali scientia per additionem aliquam, vel augmentum, ratione cuius de nouo res terminaretur ad id, ad quod antea non terminabatur, cognoscendo de nouo illud, quod antea non cognoscebat, etiam si à parte rei daretur antea id, quod de nouo cognoscitur; sed deus in casibus supra positus de Christi corpore, posito in spat. imaginario, & de productione illius extra cælum, ratione illorum per vos de nouo est præsens deus ibi extra cælum, & illud spatium, cui est præsens, non est de nouo, sed semper ab æterno fuit, & nihilominus ab æterno, & ante productionem, & positionem corporis Christi, ibi non erat intrinsecè præsens deus: ergo hoc non erat ex defectu talis spatij, sed potius ex defectu præsentia: dei: ergo ut de nouo incipiat esse præsens ibi intrinsecè necesse est ut mutetur deus quoad præsentiam intrinsecè per additionem intrinsecam talis præsentia, ratione cuius extenditur de nouo ad illud vacuum, seu privationem, aut carentiam corporis, ut in exemplo scientia: circa privationes patet manifeste.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

78 **A**ntequam autem solvamus argumenta, advertendum est cum P. Suarez, ut tollatur equivoco; quia cum dicitur res aliqua esse alicubi vel in aliquo loco, duo posse in hac loquutione includi, unum est intrinsecum & absolute præsentia, quam res ibi habet, aliud est habitudo ad rem aliam, quam contingit, vel quantitate molis, vel quantitate virtutis activæ, vel relatione præsentia: substantia: suæ, vel quantitatis. Hæc duo necessaria sunt in corporibus: quæ circumdantur corpore continente, dicitur enim locatum esse in circumscribente medio contractu quantitativo, & præterea habet in se suam præsentiam intrinsecam, quæ à nobis explicatur per habitudinem ac centrum & polos mundi; eademque manet etiam si corpora circumscribentia mutantur, aut fluant, imò etiam si per divinam potentiam omnia perirent. En in cælo Empyreo invenitur hæc præsentia sine corpore circumdante, quia hæc præsentia non refertur ad alterum, cui res dicitur præsens vel per cognitionem, vel per loci propinquitatem, quomodo etiam solet illa vox usurpari, sed sumitur absolute et si in usu positum esset dici posset adfentia, quia nihil aliud est; quam rem ibi adesse, ubi esse dicitur, quod in corpore non potest esse corpus extrinsecè circumdans, sed aliquid intrinsecum de quo latissime in Physicis & logica. Adhuc ergo modum intelligendum est in rebus spiritualibus, & præsertim in Deo, de quo nunc agimus servata differentia, & proportionem; quia præsentia Dei spiritualis est, & omnino immutabilis, & indefectibilis, contactus vero Dei est virtualis per propriam actionem eius.

79 Quando ergo dicitur Deus esse extra mundum in spatiis imaginariis, si intelligatur ibi esse; quasi cum habitudo ad aliquid aliud quod contingat, est plane falsum & impossibile, & hoc tantum videntur intendisse Doctores citati pro

prima sententia; imò neque aliud probant rationes aduersariorum; nam contactus dei virtualis est ad aliquam veram rem positivam quæ in spat. imaginario non est & eodem sensu verum est quod Tertulianus Augustinus, Theodoretus, & alii Doctores citati à Patre Vasquez asserunt dicendo, deum antequam mundum creasset, non fuisse in aliquo loco, sed in seipso. Denique eodem sensu verum etiam est non pertinere ad immensitatem dei, ut sit in loco infinito, imò nec omnino sic esse in loco, quia immensitas est attributum intrinsecum, & necessario conveniens deo: sic autem esse in loco includit liberam actionem dei, ut intelligatur deus esse extra mundum solum per realem, & formalem præsentia: suam, eodem, quo explicuimus in nostra conclusione sine habitudo actuali, ut ita dicam ad aliquam rem positivam extra ipsum, solum per adfentiam tali spat. & vacuo, sic negari non potest, deum esse extra mundum, id enim tam in doctrina fidei, quam in ratione naturali conuincunt sine dubio ea, quæ pro nostra conclusione adduximus.

80 Quæ si eodem sensu dicatur, Deus esse in spat. illo immenso, vere etiam dicitur. Inequivoco autem laborant, qui putant illam particulam, esse in spat. dicere habitudinem ad spatium tanquam ad aliquid distinctum quod contingitur, & ideo argumentantur, hoc repugnare, quia spatium est nihil, non est tamen hic sensus illius loquutionis, sed intransitiue, ut ita dicam sumenda est illa particula, & declaratur optime per ordinem ad conceptionem nostram; quia ubi nos concipimus spatium per modum uacui apti repleti corpore, ibi est præsentissima diuina substantia, totumque illud substantialiter replet; nam quia nos spiritualia hæc non possumus concipere, nisi per ordinem ad materialia, ubi actu non est aliquod corpus, concipimus aptitudinem, ut ibi sit & ibi etiam intelligimus adesse deum; ad hunc autem præsentia: modum non est necessarium, ut spatium sit aliquid, præter Deum ipsum positivum, cum non fiat nec realiter contingatur à deo, sed satis est, ut sit quædam vacuitas apta repleti corporibus, ut per habitudinem ad illa possumus prædictam Dei præsentiam concipere, ac declarare quod potest ex ipsis corporibus non obscure intelligi, nam corpus Christi (prosequendo exemplum supra positum) extra cælum existens, ibi realiter est præsens absque corpore circumscribente, & replet corporaliter illud spatium, quod occupat, non quia spatium illud prout distinctum à corpore Christi sit aliquid reale positivum, sed quia per ipsius corporis præsentiam sit corporale spatium, & reale, quod ex se vacuum erat, & nihil, ut ita dicam; ad hunc ergo modum ut substantia Dei esset ibi præsens antequam ibi ad esset corpus Christi, non est necesse illud spatium esse aliquid reale positivum distinctum à substantia Dei.

81 Ex quo etiam intelligitur, quid indicent illa adverbia *temporalia & localia*, cum dicimus, Deum fuisse ab æterno, hic, ubi nunc creatus creatus est mundus, vel ibi ubique creari posset, aut tunc fuisse quando potuit à Deo creari ante totum tempus reale præteritum; nam sicut illud tunc non significat aliquam durationem, quæ actu extiterit, distinctam à Deo, sed significat ipsammet durationem Dei, ut aptam ad coexistendum tempori, vel instanti, quod antea esse posset; ita illud ad verbum *ibi*, aut *hic* non

E c 3 indi

indicat locum realem actu existentem, sed solam præsentiam Dei per immensitatem, ut de se aptam ad coexistendum localiter cuicunque corpori realiter ibi existentem, quæ omnia indicant infinitam præsentiam Dei, secundum quam intime est in omnibus rebus secundum illud Pauli *Actor. 17.* non longe est ab vnoquoque nostrum, ubi loquitur Paulus de indistantia locali, aut de præsentia intima Dei in nobis, & non de providentia aut cura nostrarum rerum, ut aperte exposuit Theophilact. neque aliud sensit Beda; expressius vero Hieronymus *Isaia 66.* ait, Paulum protulisse illa verba, [ut Iudæicum conuincat errorem, qui putant invisibilem & incorporealem, & incomprehensibilem Deum templo Hierusalem posse concludi.] Vnde illa verba Pauli æquivalere dicit illis, [nonne cælum, & terram ego impleo.]

81 Quibus positis facile est respondere Sanctis Patribus citatis pro contraria opinione & in primis Tertulianus loquitur eo modo, quo diximus supra, videlicet Deum nullo modo indigere, neque loco, neque mundo, neque creatura aliqua ut sit, sed ibi sufficere ad omnia, & ideo ait, Deus erat solus, & ipse sibi & locus, & mundus; Præceas enim heretice iudicabat, Deum non posse esse ante omnia; quia si esset deberet esse in loco positum, à quo containeretur; sed nihil erat positum: ergo non erat Deus; quam argumentationem refutans Tertulianus, asserit Deum non dependere à loco, neque contineri ab ipso, sed sibi sufficere, ac proinde potuisse esse ante omnem locum positum præsentialiter, nihilominus tamen nunquam negavit Tertulianus, Deum præsentem fuisse ante creaturas in toto hoc vacuo, seu spatio, in quo & creaturus erat mundum, & posset creare infinitos mundos. Item negabat Tertulianus, Deum esse in hoc spatio, sicut res materiales sunt in loco, quatenus continentur ab illo, & limitantur ab eodem, dicendo habitudinem ad illum & ideo dicebat, Deum non habere locum, utique comprehendentem illum, & quem ante creationem rerum posset contingere, cum quo bene stat id, quod in aliis locis à nobis adductis ipse dixerit, videlicet, Deum esse per omnia spatia imaginaria præsentem, ut patet ex nuper dictis in notabili ad replicam adversariorum respondeo, Tertulianum, dum dixit, Deum sibi esse locum, non loquutum fuisse de loco proprio, quia idem non potest esse sui ipsius locus, ut patet ex tota Philosophia; locus enim, & locatum distinguuntur realiter, & ideo omnes Doctores etiam adversarii docent præsentiam, quæ est ratio existendi in loco, esse relativam aut secundum esse, aut secundum dici; sed relativum non est ad se, sed ad aliud: ergo locus, ad quem est relativum præsentia, & quem respicit per præsentiam locatum, est distinctus à parte rei ab ipso locato, & præsentia ipsius: ergo si Tertulianus docet, Deum esse sibi mundum & locum, non loquitur de loco proprio, alias etiam loqueretur de mundo proprio, & sic Deus in sententia Tertuliani esset proprie & formaliter congeries hæc elementorum, mixtorum, & cæterarum creaturarum, quod est aperte hereticum: ergo si de mundo intellecta propositio non sumitur in sensu proprio, neque etiam sumitur in sensu proprio de loco; quia æque, & eodem modo loquitur de mundo, ac de loco, quare sensus Tertuliani est alius ab eo, quem perperam collimant adversarii, tanquam scopum videlicet Deum nullius rei indigere, neque dependere, ut sit à quacunque creatura, sed potius tam perfecte esse sine omnibus solum, ac cum illis; quia

sibi sufficientissimus est; eodem modo respondetur ad Augustinum, & Theodoretum, quibus simul applicanda est solutio in notabili posita.

Ad rationem respondeo negando antecedens; 82 Ad probationem Antecedentis distinguo maiorem, id quod vere nihil est, non potest esse locus, quem contingat virtualiter locatum; & quod contineat positive illum, ut de ultima superficie corporis continentis docebat Aristoteles, concedo Maiorem, non potest esse locus, cui adfit, & sit præsens ut explicuimus in notabili, nego maiorem. Denique nego absolute minorem; si nihil in toto rigore sumatur, ut patet ex dicendis, disput. ultima huius metaphys. de ente rationis, ubi late explicuimus, quid sit proprie nihil & quomodo distinguatur à negatione, & privatione, quæ connotat positum; cui connectitur, & cui coniungi potest, cum autem vacuum illud sit negatio per modum privationis, connotans positum, cui adiungatur, inde est, quod non sit nihil purum.

Ad probationem minoris dicimus, vacuum illud, licet non sit aliquid positum, esse tamen veram, & realem carentiam, sine fictione; quod sufficit ut sit locus, cur præsens sit locatum. Ad probationem maioris respondeo; fictitium esse dicere, locum recipere locatum, sicut falsum est asserere, locum habere rem locatam; locus autem nihil aliud est, quam spatium, cui res locata adest per præsentiam, ad quod non est necesse ut sit positum quid, ut late in phisicis demonstrat, disput. de loco.

Ad confirmationem, & declarationem respondeo spatium illud imaginarium primario, & essentialiter non consistere in negatione rei locatæ, sed potius in quadam negatione aptitudinis positivæ ad continendum corpus, & cui possit res spiritualis ita adesse, ut contingat virtualiter illam cum non repugnantia, ut corpora, & res positivæ veniant ad illam, & ibi sint præsentem.

Secundo alii respondent nihil aliud esse spatium imaginarium, quam carentiam primario & formaliter cujuscunque corporis quæ per adventum illius destruitur; vnde ante productionem aeris totum hoc intervallum erat carentia corporis, adveniente autem aere, qui corpus est, destrui illam; sed hæc solutio plures patitur difficultates de immobilitate loci; unde ne in illas incidamus, quas late oppugnavimus in phisicis persilendum est in prima solutione, & dicendum est, talem carentiam explicandam esse ad modum, quo possibilitatem explicui supra; unde si aliquæ difficultates emergunt, tract. de possibilitate solvuntur; hæc autem carentia, aut negatio aptitudinis positivæ ad continendum, &c. de se immobilis est; quia de se, & de sua essentia est locus; qui quatenus talis ex vi suæ definitionis debet esse immobilis, videantur dicta late in Phisicis disput. citata de loco; cætera autem quæ adversarii contrarios adducunt, in nituntur falso supposito, videlicet vacuum illud esse non repugnantiam ad essendum, ac proinde esse possibilitatem rei; hoc enim falsissimum est; aliud enim est possibilitas rerum, aliud autem vacuum aptum repleti corpore; unde licet verum sit, quod res non possit esse in non repugnantia ad existendum, tanquam in loco; quia non repugnantia ad existendum est propria vniuscuiusque, locus autem est communis.

Deinde unaquæque res potest mutare plures locos per motum localem, possibilitatem autem propriam, seu non repugnantiam ad essendum non

Quaest. IV. Vtrum Deus sit in spatio imag. 223

non potest mutare; quia possibilitas uniuscuiusque rei est de essentia illius, essentia autem est immutabilis, quia est aeterna veritatis praecipue per motum localem, & omnino accidentalem, alias quicumque homo dum moveretur localiter, mutaret essentias, ac proinde destrueretur; quia res sine sua essentia existere non potest; nunc autem etiam si adversarij suis argumentis non obligent ad difficultatem maximam, de modo existendi Dei in omnibus rebus, sive positivis, sive negativis, nihilominus tamen ad complementum operis opere primum duxi agere de illa & de differentia, quae datur inter praesentiam, ei, & praesentiam creaturarum, tam spiritualium, quam corporum.

Explicatur difficultas de praesentia Dei.

86 Ad quod suppono, omnem praesentiam, siue Angeli sive corporis, per quam res est praesens alicui spatio divisibili esse formaliter divisibilem, constareque partibus realiter distinctis inter se, & ratio est manifesta quia omnis praesentia creaturae est modus, & non res, ut late egi in *Physicis*, & in *praedicamento Vbi*; eo quod sit ultima determinatio ad spatium: ergo est pura actualitas sine potentialitate; quare ubi illud, quod actu est, in hac parte spatij, ita est determinatum ad hoc spatium ut non possit esse in alio; quia non habet potentialitatem ad id, quod actu non habet; alias iam non modus, sed res esset: ergo ubi per quod est praesens Angelus, & corpus huius parti spatij distinguitur ab ubi alterius spatij formaliter a parte rei; unde ubi totale constans ex illis, & per quod totum Angelus est in toto loco continue, erit formaliter compositum ex pluribus partibus realiter distinctis, ac divisibilibus; quapropter quando Angelus habet totam suam substantiam praesentem in loco extenso, quamvis entitas Angeli nullas habeat partes, nihilominus ubi Angeli habet illas, ita ut licet in illo modo ubi seu praesentia non sit vlla extensio ex parte subiecti, quod indivisibile est, est tamen necessaria aliqua extensio seu partium distinctio in tali modo praesentia in ordine ad diversas partes loci, seu spatij, cuius signum evidens a posteriori est; quia potest Angelus ommittere, & a fortiori idem est de corpore praesentiam ad vna partem spatij, & consequare ad aliam: ergo signum est, illas partes praesentiae esse in re distinctas; alias non posset a parte rei una destrui, conservata alia, sicut etiam in anima rationali toti corpori unita intelligimus modum unionis ad totum corpus, licet non habeat partes ex subiecto, scilicet anima habere tamen illas per habitudinem ad diversas partes corporis, signumque est quod cum vna pars abscinditur v. g. manus, amittit animam partialem unionem ad illam partem materiae, conservata unionem ad reliquas partes corporis: idem ergo proportionaliter intelligendum est de praesentia locali.

87 E contra vero contingit in Deo, quod praesentia Dei nullo modo sit divisibilis, neque composita ex partibus distinctis, sed omnino simplex, & indivisibilis, tum quia identificatur cum ipsa essentia Dei, quia praesentia Dei non est extra Deum sed in Deo intrinsece; quidquid autem est in Deo, Deus est, ut decrevit Concilium Remense contra Gilbertum Porretanum, inde evenit, quod praesentia Dei identificetur cum Deo, & sit Deus: atqui Deus est omnino sim-

plex, & indivisibilis: ergo ipsa praesentia est similiter simplex, & indivisibilis, tum etiam, quia praesentia Dei non est modus sed res perfectissima, ac proinde, licet faciat Deum praesentem ut ita loquar, seu constituat Deum adfentem hic, non est necesse, ut sit ita determinatio ad hunc locum, ut non possit esse alibi; in quo aliquo modo comparatur praesentia Dei non praesentiae, & ubi angelico, sed potius substantiae Angeli, quae quia res est, & non modus, ita est in hoc loco, ut possit esse alibi sine additione, & diminutione; quod e contra contingit in praesentia ipsius Angeli ut iam dixi, ex eo quod modus est: ergo non mirum, quod licet praesentia Dei sit hic & alibi, non sit per distinctionem aptum, sed per vnam & indivisibilem entitatem, cum extensione tamen virtuali, per quam aequivalet rebus formaliter extensis, & divisibilibus; unde colligitur notanda differentia inter divinam substantiam, & alias immateriales; nam aliae cum sunt in loco extenso, ita sunt in illo, ut licet tota sua substantia sit in toto & tota in qualibet parte, nihilominus tamen praesentia talis substantiae non est tota in toto, & tota in qualibet parte, sed potius pars in parte & tota in toto; divina autem substantia ita est in toto loco extenso, ut sicut eandem essentiam totam habet in toto loco, & in qualibet parte, ita similiter eandem habeat indivisibilem praesentiam totam in toto loco, & totam eandem in qualibet parte; quod quidem sicut admiratione dignum est, ita etiam est divina eminentia, & perfectione dignissimum, quia cum in nulla perfectione suas partes habeat, non potest alicubi habere aliquid perfectionis suae quacunque ratione consideretur, quin ibi etiam totam habeat praesentiam, & ideo ubicumque se exhibet praesentem totam suam immensitatem exhibet, atque hinc etiam intelligitur quod licet interdum nos more nostro loquamur de hac praesentia divina, tanquam de modo, vel dispositione divinae substantiae, ut explicare possimus eius infinitam praesentiam, & immensitatem, re tamen vera non est modus, sed ipsamet divina substantia absque vlla distinctione in re.

Solum superest difficultas, quomodo Deus existat de novo praesens formaliter in rebus, quas de novo creat sine diminutione & additione ex parte Dei.

88 Aliqui dicunt, hoc contingere, quia talis praesentia Dei in rebus de non creatis est solum denominatio extrinseca ab illis, ad quod sufficit, ut illa solum mutentur, & non Deus: explicant hoc exemplo turris, vel saxi in medio fluminis persistentis immobiliter; turris enim iam his partibus aeris, iam illis de novo est praesens, & idem est de saxo respectu aquarum de novo advenientium, hoc est sine mutatione intrinseca ex parte saxi, vel turris, & solum per mutationem aquarum, & partium aeris.

89 Sed haec solutio falso nititur principio, & exemplo, quia turris, aut saxum non est extrinsece praesens aquae aut aeri, sicut neque extrinsece est praesens spatio, sed intrinsece est praesens tam aeri, quam spatio; sicut etiam saxum intrinsece est praesens solo, & aquis per distinctas tamen praesentias, quae separantur inter se; nam praesentia ad partes aquae mutatur ad mutationem aquarum; unde recedentibus aquis, desinunt praesentia ad illas, manente tamen eadem praesentia ad spatium, cum habitudine ad polos;

polos, & centrum aut secundum esse, aut secundum dici, ut explicui *disputat. de loco*: ergo præsentia illa non possunt deferuire ad explicandam præsentiam dei; siquidem deus etiam si intrinsecè, & non extrinsecè sit præsens rebus de nouo existentibus, non patitur diminutionem, additionemve formalem à parte rei præsentiarum sicut faxum, & turris.

91 Sed hoc totum mysterium explicandum est secundum nostra principia per additionem, & diminutionem virtualem, solam deo conuenientem propter suam eminentiam, de quo quia *disput. de liberr. Dei*, data opera latissime nobis agendum est, nihil hic agere operepretium duxi, videantur ibi dicenda, quæ sufficiunt ad præsens negotium, & facile possunt applicari præsentii difficultati.

DISPUTATIO XVIII.

De natura intellectus diuini, eiusque
intellectione.

QUESTIO I.

Virum detur intellectualis cognitio in Deo
scientifica, infinita?

SECTIO I.

Prima conclusio ponitur.

1 **D**E fide est dari in Deo sapientiam; vt patet ex illo *Psalm. 146.* [Sapientia eius non est numerus.] & *Sapientia 9.* [qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem.] *Proverb. 3.* Dominus sapientia fundauit terram, & stabiliiuit cælos prudentia, *Eccles. 1.* sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigauit? *Ad Roman. 11.* O altitudo diuinarum, sapientia, & scientia dei, *ad Colossenses 2.* [in quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia Dei.]

2 Nominem scientia tribuitur Deo in Scriptura cognitio actualis intellectualis, præter duo loca nuper adducta in aliis multis, vt *Psalm. 72.* [quomodo scit Deus, et si est scientia in excelsis.] *Lucæ 12.* [scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis,] *ad Rom. 8.* [quos præcinit, & prædestinauit,] *Psalm. 138.* Tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua; præterea tribuitur Deo scientia per modum habitus. *1. Regum. 2.* Deus scientiarum dominus est, & ipsi præparantur cogitationes; & *Iob 12.* apud ipsum moratur scientia, & *cap. 21.* nunquid Deum docebit quispiam scientiam: & *Esther. 14.* Domine qui habes omnem scientiam; nam Verbum illud, moratur, habes, denotant permanentem, & quasi habitualement scientiam in Deo reperiri. *Psalm. 138.* aperte hæc veritas demonstratur ibi, mirabilis facta est scientia tua ex me; vbi alia litera, habitans in te scientia per me quasi per radium mirabiliter demonstratur; quem locum *Chrysostom. hom. 1. de incomprehensibili Dei natura, circa medium*, ponderans,

altiusque repetens superiorem versum, quia terribiliter magnificatus es; sic ait; [quid cum terribiliter dicat, significat? multa sunt quæ licet miramur, non tamen cum timore, verbi gratia, magnifica ædificia solummarum, ornamenta patietum, picturas corporum, flores, & elegantiam miramur. Item maris vastitatem, immensosque gurgites, sed non sine metu, cum eius inspicimus altitudinem. Sic & Propheta cum vastum id immensumque in æternum permanentis diuinæ scientia, atque sapientia mare inspicit, vertigine quasi tentatus stupefit, ac summo cum timore demirans recedit, atque exclamat; confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, ac cunctis mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.

Itaque in Deo omne genus scientia, ablati omnibus imperfectionibus suam regiam sedem collocauit, quod ex ipso nomine Græce, Latine Deus, mirabiliter demonstratur. Damascenus enim *lib. 1. fidei. cap. 12. in medio*, Theos, inquit, vel à Thein, id est currere, & disponere vniuersa vel ab *aithein*, id est vrere (Deus enim ignis est, omnem malitiam consumens) vel à *Theasse*, id est intuendo omnia; nam nihil eum latere potest; imo omnium inspector est, secundum illud *Eccl. 1. 23.* Oculi domini lucidores sunt super solē circumspicientes omnes vias hominum, & profundissimum abyssi; & *44.* cognouit enim Dominus omnem scientiam, quod ratiocinando conuincit eleganter David *Psalm. 93.* [dixerunt non videbit dominus, nec intelliget Deus Iacob, intelligite insipientes, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet, qui finxit oculum non considerat,] quod ante dixerat Athanasius, *tract. de definitionibus*, §. quid est Deus, & in *questionibus de natura Dei, quest. 2.* qui etiam in *Dialogo primo, contra Macedonium sub initium*, ait: [vocabulum Deus naturam significat, omnia contemplantem, aut perudentem;] verum hanc ethimologiam fusius, quam ceteri Nizenus exponit, *lib. ad Ablabium*, quod non tres *11j.* S. Thomas *1. contra Gent. cap. 44.* qui omnes videntur hoc accepisse ex Dionysio, *de diuinis omnibus, cap. 12. prope medium*, vbi hanc rationem nominis exponens, sic ait, [diuinitas est omnia contemplans prouidentia; atque id perfecta bonitate omnia vndeque lustrans, & complexu suo complens,] cuius vestigiis insilens Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromatum, in fine*, ibi: Theos dictus est à Theaste, hoc est videre, & contemplari; vel à Thein, quod est disponere, tanquam expositione, & ordine, & administratione; & Cyrill *lib. 1. contra Iulianum, colum. vltima*, Augustinus *lib. 7. confessionum, c. 9. & 1. 10. de ciuit. c. 29. prope finem*, Gregor. Magnus *lib. 21. Moralium, c. 5.* Hilarius *lib. 9. de Trinit.*

SECTIO II.

Secunda conclusio ponitur.

Limine naturali demonstratur, Deum habere infinitam scientiam, ita docuit, & demonstrauit Aristoteles, *lib. 1. Ethic. ad finem, & libro 1. Met. in proæmio, cap. 2. & 3. Metaphys. cap. 4. text. 15. & lib. 12. Met. cap. penultim. text. 51. ibi:* [sive nihil intelligat, sed ita se habeat, vt docuiens quidnam præcellens erit; seipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est, & est intel]